


J. Cesare delin. P. Toro sculp.



[illegible] ad viv. delin. Toro sculps. Neap

IVLI PHAEDRI

AVG. LIB

FABVLAE INEDITAE XXXII

QVAS IN CODICE PEROTTINO
BIBLIOTH. REGIAE NEAP
PRIMVS INVENIT DESCRIPSIT EDIDIT

IOANNES ANTONIVS CASSITTVS

ELECTOR EX COLLEG. POSSESSOR. IN R. VTRIVSQVE SICILIAE
REG. SOCIET. GEORG. ACADEM. ITALICAE ATQVE PONTANIANAE
SODALIS ORDINARIVS

EDITIO TERTIA

NEAPOLI

CIƆIƆCCCXI

EX OFFICINA MONITORIS VTR. SICILIAE

CASSITTVS LECTORI

Quatuor ab hinc annis in Regiâ Bibliothecâ Neap. Perottinum codicem evolventi mihi praesto fuit Iulius Phaeder: et qui polyhistoras Dorvillium, Burmannum, Andresium fefellerat, se ipse veteri amatori obtulit insperatum. Reperi, inquam, Fabulas hasce ineditas XXXII. *ceteris iamdiu vulgatis immixtas, necnon elegis Avieni, et quibusdam Perotti poëmatiis, Insequente anno, quinquaginta dumtaxat exemplaria emisi, praefante cl. Francisco Avellinio, quo utitur praeceptore Achilles Princeps.* In codice (*Avellinius ait*) anecdotas fabulas Cassittus primus invenit, easque exscripsit, emendavit, atque ubi characteres defecerant, etiam supplevit. *O fortunatos in tanto latifundio villicos, si haec bona sua nôssent! Sed Perotti codicem (iam Burmanno celebratum*, in praef. comm. novi ad Phaedrum) *proba cognitum habuere: quid lateret angulo intimo nesciebant. Non tamen ideo notatos volo, aut quasi negligentes traduxerim. Vetuit codex, noluitque se legi. Neque enim est atramento exaratus, sed viridi herbarum succo, et hunc tempus edax abliguriit, ita evanidis passim literis ac fugientibus, ut in puras alicubi chartas te incidere arbitreris. Ergo mihi solemnis gloriola re-*

pertarum primumque editarum Phaedri fabularum abripi sine scelere non potest. Sed vitiosa est princeps editio. Vltro fateor. Atqui hac de caussâ non nisi quinquaginta tunc primum apographa exire sum passus. Alteram tamen editionem (quae Galliam, Germaniam, Italiamque superiorem pervagatur) et hanc ipsam, quam vides, tertiam subtilissimâ curâ emendatas praesto. Oblatrat Livor, operâ nos alienâ in recensione fuisse adiutos. Hui ridiculum! Et hoc fateor. Ego vero in his rebus plus centum oculos quam binos videre putabam. Ergo, quot adiutores potui, in hoc advocavi, ut ipsissimam Phaedri orationem tandem adipisci contingeret. Ita lectiones omnino sinceras verissimasque extudimus, sive per nos relecto exemplo Perottino, sive millies et otio per Aloisium fratrem Antecessorem Regium, perque amicos plusculos collato. Quo facto me acu rem tetigisse auguror, et literatum plausum invitasse. Vbi scriptura defuit, literulas, syllabas, aut verba quaedam charactere, quem vocant, Italico subieci. Esse audio, qui in consarcinandis huiuscemodi supplementis perquam serio occupari velit. Laureolam ex mustaceis emendicat. In tenui labor, nullamque in rem levior impendi potest: atque hoc vere est magno conatu magnas nugas agere. Commentaria adiecissem, quae vel ab anno CIↃIↃCCCVIII. *librarii torculo committi coeperant, ut doctissimus Avellinius in praefatione mox laudatâ monuit. Sed*

ne faciam, intercedit fides. Etenim eruditus Firminus Didot iamdiu mecum egit de splendidâ operis editione Lutetiae Parisiorum adornandâ; ut ab ipso veniam de nudo contextu evulgato petere necesse habeam. Gratum erit, si observationes huiusmodi propediem vulgabunt nostrates, dum gloriae consulant Neapolitani nominis. Sin autem minus; nostra illa nec publici saporis nec prorsus futilia rem utcumque restituent. Saltem coetui philologico vice cotis erunt, quo potiora moliatur,

acuatque se se diligens industria.

Accuratam denique Perottini codicis descriptionem omitto: qui acceperim cl. Andresii iussu et consiliis totum iam esse cum summâ fide vulgandum; non sine incredibili, fateor, voluptate animi mei. Perottus enim accedet mihi capsarius, et Harduinorum, si qui sunt, audaciam compescet. Ne mirere si auctori suo vindicare opusculum praetermitto. Gustu solo res definienda est: sicut iam, teste Sirmondo, evenit quum quinque libellos Pithoeus edidit. Palato minime surdo est opus. De opimiani salivâ, deque scari succo ne iudicet, qui vappam et glandem ructat. Res cibi haec electissimi sapientibus sapit. Fruere igitur, et vale. Dabam Neapoli Nonis Martiis CIↃIↃCCCXI.

INDEX

IVLI PHAEDRI

FABVLAE

A CASSITTO REPERTAE

FABVLA I.

DE VVLPE ET SIMIO.

Vulpem rogabat partem caudae Simius ;
Contegere honeste posset ut nudas nates ;
Cui sic maligna : Longior fiat licet,
Tamen illam citius per lutum et spinas traham,
Quam partem quamvis *parvam* impartiar tibi.

FABVLA II.

POETA.

Hoc qualecumque est, Musa quod ludit mea,
Nequitia pariter laudat et Frugalitas ;
Sed haec simpliciter: illa tacite irascitur ;

FABVLA III.

DE CONDITIONE HVMANA.

Arbitrio si *Natura formasset* meo
Genus mortale, longe foret instructius;
Na*mque illa* nobis adtribuisset commoda
*Quaecum*que indulgens Fortuna animali dedit,
Elephanti vires, et leonis impetum,
*Corni*cis aevum, gloriam tauri trucis,
Eq*ui* v*elo*cis placidam mansuetudinem,
Et adesset Homini sua tamen solertia.
Nimirum in coelo secum ridet Iupiter,
Haec qui negavit, magno consilio, Homini;
Ne sceptrum mundi raperet nostra audacia.
Ergo contenti munere invicti Iovis,
Fatalis annos decurramus temporis,
Nec plus conemur quam sinit mortalitas.

FABVLA IIII.

DE MERCVRIO ET DVABVS FEMINIS.

Mercurium hospitio Mulieres *olim* duae
Inliberali et sordido receperant;
Quarum una in cunis parvum habebat filium,
Quaestus placebat alteri meretricius,

Ergo, ut referret gratiam officiis parem;
Abiturus, et iam limen excedens, ait:
Deum videtis; tribuam vobis protinus
Quod quaeque optârit. Mater supplicat rogans;
Barbatum nt videat natum quam primum suum;
Moecha, ut sequatnr se se quidquid tetigerit.
Volat Mercurius. Intro redeunt Mulieres.
Barbatus infans, ecce, vagitus ciet.
Ideo quum forte Meretrix ridet validius,
Nares replevit humor, ut fieri solet.
Emungere igitur se volens, prendit manu;
Traxitque ad terram nasi longitudinem,
Et alium ridens, ipsa ridenda exstitit.

FABVLA V.

DE VERITATE ET MENDACIO.

Olim Prometheus seculi figulus novi
Curâ subtili Veritatem fecerat,
Vt iura possent veritatem reddere.
Subito arcessitus nnntio magni Iovis,
Commendat officinam fallaci Dolo,
In disciplinam nuper qnem receperat.
Hic studio accensus, facie simulacrum pari,
Vnâ staturâ, simile et membris omnibus,
Dum tempus habuit, callidâ finxit manu;

Quod prope iam totum mire quum positum foret;
Lutum ad faciendos illi defecit pedes.
Rediit Magister; qua festinans re Dolus
Metu turbatus in suo sedit loco.
Mirans Prometheus tantam similitudinem,
Propriae videri voluit artis gloriam;
Igitur fornaci pariter duo Signa intulit:
Quibus percoctis atque infuso spiritu,
Modesto gressu sancta incessit Veritas;
At trunca Species haesit in vestigio.
Tunc falsa Imago, atque operis furtivus labor
Mendacium adpellatum est: quod ne *cogites*
Pedes habere, *fut*ile ipse con*spicis*.

FABVLA VI.

POETA.

Simulata interdum vitia prosunt hominibus;
Sed tempore ipso tamen adparet veritas.

FABVLA VII.

DE POENIS TARTARI.

Ixion qui versari *narratur rotâ*
Volubilem Fortunam iactari docet.
Adversus altos Sisyphus montes agens

Saxum labore summo, quod de vertice
Sudore semper improbo revolvitur,
Ostendit hominum sine fine *esse* miserias.
Quod stans in amne Tantalus medio *sitit*,
Avari describuntur, quos circumfluit
Vsus bonorum, sed nil possunt tangere.
Vrnis scelestae Danaides portant aquas,
Pertusa nec complere possunt dolia.
Imo, luxuriae quidquid dederis, perfluit.
Novem porrectus Tityos est per iugera,
Tristi renatum suggerens poenae iecur.
Quo quis maiorem possidet terrae locum,
Hoc demonstratur curâ graviore adfici.
Consulto involvit veritatem Antiquitas,
Vt sapiens intelligeret, erraret rudis.

FABVLA VIII.

DE ORACVLO APOLLINIS.

Vtilius nobis quid sit, dic, Phoebe, obsecro,
Qui Delphos et formosum Parnassum incolis:
Quaeso id. Sacratae Vatis horrescunt comae,
Tripodes moventur, mugit adytis Religio,
Tremuntque lauri, et ipse pallescit dies.
Voces resolvit acta Pythia numine,
Discuntque gentes Delii monitus dei.

Pietatem colite. Vota superis reddite.
Patriam, parentes, natos, castas coniuges
Defendite armis. Hostem ferro pellite.
Amicos sublévate. Miseris parcite.
Bonis favete. Subdolis ite obviam.
Delicta vindicate. Cohibete impios.
Punite turpi thalamos qui violant stupro.
Malos cavete. Nulli nimium credite.
Haec eloquuta concidit Virgo furens;
Furens profecto! nam quae dixit perdidit.

FABVLA IX.

DE MALO SCRIPTORE SE LAVDANTE.

Aesopo Quidam scripta recitârat mala,
In quîs inepte multum se iactaverat.
Scire ergo cupiens quidnam sentiret Senex,
Numquid tibi, inquit, sum visus superbior?
Haud vana nobis ingenii fiducia est.
Confectus ille pessimo volumine,
Ego, inquit, quod te laudas vehementer probo;
Namque hoc ab alio numquam continget tibi.

FABVLA X.

DE POMPEIO ET MILITE.

Magni Pompeii Miles vasti corporis
Fracte loquendo, et ambulando molliter,
Famam cinaedi traxerat certissimam.
Hic insidiatus nocte venientes Ducis
Cum veste et auro et magno argenti pondere
Avertit mulos. Factum rumor distulit;
Arguitur Miles; rapitur in praetorium.
Tunc Magnus: Quid ais? Tune me, commilito,
Spoliare es ausus? Ille continuo exscreat
Sibi in sinistram, et sputum digitis dissipat.
Sic, Imperator, oculi exstillescant mei,
Si vidi aut tetigi. Tum Vir animi simplicis
Inanes suspiciones propelli iubet,
Nec cadere in illum credit tantam audaciam.
Haec inter, castra accessit, et fidens manu
Romanos armis provocabat barbarus.
Sibi quisque metuit, primi mussant duces.
Tamen cinaedus habitu, sed Mars viribus
Spernit sedentem pro tribunali Ducem,
Et voce molli ridet. Enimvero eiici
Virum, irâ atroci Magnus stomachans imperat:
Tum quidam senior ex amicis Principis:

Hunc ego committi satius fortunae arbitror,
In quo iactura iocus est, quam fortem virum;
Qui casu victus temeritatis te arguat.
Adsensit Magnus, et permisit Militi
Prodire contra; qui, mirante exercitu,
Dicto celerius hostis abscidit caput,
Victorque rediit. His tunc Pompeius super.
Coronâ, Miles, equidem te dono libens,
Quia vindicasti laudem Romani imperî;
Sed exstillescant oculi sic, inquit, mei,
Turpe illud *reddens quod cinaedus fecerat*,
Nisi tu abstulisti *sarcinas furto* meas.

FABVLA XI.

DE IVNONE VENERE ET GALLINA.

Quum castitatem Iuno laudaret suam,
*Iucu*nditatis caussâ non repulit Venus;
Nullamque ut adfirmaret esse illi parem,
Interrogasse sic Gallinam dicitur:
Dic, sodes, quanto possis satiari cibo?
Respondit illa: Quidquid dederis satis erit,
Sed ut concedas pedibus aliquid scalpere.
Ne scalpas, inquit, satis est modius tritici?
Plane: immo nimium est; sed permitte scalpere.
Ex toto, ne quid scalpas, quid desideras?

Tum denique *illa* fassa est naturae malum:
Licet horreum mî pateat, ego scalpam tamen.
Risisse Iuno dicitur Veneris ioco,
Quia per Gallinam demonstravit feminas.

FABVLA XII.

DE IVVENCO ET VETVLO BOVE.

Pater familias saevum habebat filium.
Hic e conspectu quum patris recesserat;
Verberibus servos adficiebat plurimis,
Et exercebat fervidâ adolescentiâ.
Aesopus ergo narrat hoc brevissime:
Quidam Iuvenco vetulum adiungebat Bovem.
Is, quum refugiens impari collo iugum,
Aetatis excusaret vires languidas,
Non est quod *tim*eas, inquit illi Rusticus,
Nec ut l*abores iunxi*, sed ut istum domem,
*Vagus qui cor*nu multos reddit debiles.
Sic tu, *ni*si *na*tum tecum assidue detines,
*Saevumque in*genium comprimis clementiâ,
*V*ide ne querela maior adcrescat domus.
Atrocitati mansuetudo est remedium.

FABVLA XIII.

DE AESOPO ET VICTORE GYMNICO.

Forte Victorem gymnici certaminis
Iactantiorem quum *esse* vidisset Sophus,
Interrogavit, amplisne adversarius
Valuisset humeris? Ille: Ne istud dixeris;
Multo fuere vires maiores meae.
Quod, inquit, ergo, stulte, meruisti decus
Minus valentem si vicisti fortior?
Ferendus esses forte si te diceres
Astu superasse qui esset melior viribus.

FABVLA XIIII.

DE ASINO AD LYRAM.

Asinus iacentem vidit in prato lyram,
Accessit et tentavit chordas ungulâ.
Sonuere tactae. Bella res mehercules
Male cessit, ait, artis quia sum nescius;
Si reperisset aliquis hanc prudentior,
Divinis aures oblectasset cantibus.
Sic saepe ingenia calamitate intercidunt.

FABVLA XV.

DE MVLIERE ET MILITE.

Per aliquot annos Quaedam dilectum virum
Amisit, et sarcophago corpus condidit;
A quo divelli nullo quum posset modo,
Et in sepulcro lugens vitam degeret,
Claram adsequuta est famam castae virginis.
Interea fanum qui compilârant Iovis
Cruci suffixi luerunt poenas numini.
Horum reliquias ne quis posset tollere,
Custodes dantur milites cadaverum,
Monumentum iuxta, Mulier quo se incluserat.
Aliqnando sitiens unus de custodibus
Aquam rogavit mediâ nocte ancillulam,
Quae forte Dominae tunc adsistebat suae
Dormitum eunti: namque lucubraverat,
Et usque in sernm vigilias perduxerat.
Paullum reclusis foribus Miles prospicit,
Videtque aegram sed facie pulcrâ Feminam.
Corrnptus animus illico succenditur,
Sensim impudicâ *et* uritnr cupidine.
Solers acumen mille caussas invenit,
Per quas videre posset illam saepius,
Quotidianâ capta consuetudine,

Paullatim facta est ad *votum* submissior;
Mox arctiore vinxit *animum* *copulâ*.
Heic, dum consumit noctes Miles diligens,
Desideratum est corpus ex unâ cruce.
Turbatus Miles factum exponit Mulieri.
At sancta Mulier, Non est quod metuas, *ait*:
Virique corpus tradit figendum cruci,
Ne subeat ille poenas negligentiae.
Sic turpitudo laudis obsedit locum.

FABVLA XVI.

DE PROCIS PAVPERE ET DIVITE.

Fortuna interdum praeter spem hominibus favet.
Vnam expetebant Virginem Iuvenes duo.
Vicit Locuples genus et formam Pauperis.
Vt nuptiarum dictus advenit dies,
Amans, dolorem quia non poterat perpeti,
Moerens propinquos contulit se in hortulos.
Hos ultra paullo villa splendida Divitis
Erat acceptura Virginem e matris sinu,
Parum ampla, in urbe, visa quod fuerat domus.
Pompa explicatur. Turba concurrit frequens,
Et coniugalem praefert hymenaeus facem.
Asellus autem, qui solebat Pauperi
Quaestum *de*ferre, stabat portae in limine,

Illum Puellae casu conducunt suae,
Viae labores teneros ne laedant pedes;
Repente coelum, Veneris misericordiâ,
Ventis movetur; intonat mundi fragor,
Noctemque densis horridam nimbis parat;
Lux rapitur oculis, et simul vis grandinis,
Effusa et pluvia densa cunctos dissipat,
Sibi quemque cogens petere praesidium fugâ;
Asellus notum proxime *tectum subit*,
Et voce magnâ se se venientem *indicat*.
Procurrunt pueri, pulcram *adspiciunt Virginem*,
Et admirantur: *dein*de Domino nuntiant.
Inter sodales ille paucos adcubans,
Amorem crebris avocabat poculis;
Vbi nuntiatum est, recreatus gaudio;
Hortante Baccho et Venere dulces perficit,
Aequalitatis inter plausus, nuptias.
Quaerunt parentes per praeconem Filiam;
Novus maritus coniuge amissâ dolet.
Quid esset actum postquam populo innotuit;
Omnes favorem comprobarunt coelitum.

FABVLA XVII.

DE AESOPO EIVSQVE DOMINA.

Disce hic, quam noceat saepe, verum dicere.
Aesopus turpi quum serviret Feminae,
Quae se expingendo totom iotricabat *diem*,
Vestem uniooes aurum, argeotom com*parans*,
Nec inveoiebat digito qoi se tangeret,
Licetne paucis? inquiit. Dicas viris;
Qoid vis efficies, coltum si deposueris.
Adeooe per me videor tibi melioscula?
Immo, nisi dederis, spooda cessavit tua.
At noo cessabunt latera, respoodet, tua;
Et obiorgari iussit Servum garrulum.
Paullo post armillam tollit *is* argenteam.
Eam non adparere ot dictum est Molieri,
Forore plena vocat omnes, et verbera
Proponit gravia, verum si non dixeriot.
Aliis minare, neque me fallis certe, *ait*;
Flagris sum caesus, verum quia dixi modo.

FABVLA XVIII.

DE GALLO ET FAELIBVS LECTICARIIS.

Faeles habebat Gallus lecticarios.
Hunc gloriose Vulpes ut vidit vehi,
Sic est loquuta. Moneo; praecaveas dolum;
Istorum vultus namque si consideras,
Praedam portare iudices, non sarcinam.
Postquam esurire coepit sero Societas,
Discerpsit Dominum, et fecit partes facinoris.

FABVLA XIX.

DE SCROFA ET LVPO.

Premente partu Scrofa quum gemeret iacens;
Adcurrit Lupus; et obstetricis partibus
Se posse fungi dixit, promittens opem.
Quae vero nosset pecoris fraudes improbi,
Suspectum officium repudiavit malefici;
Et, Satis est, inquit, si recedas longius.
Quae si perfidiae se commisisset Lupi,
Pari dolore fata deflesset sua.

FABVLA XX.

DE AESOPO ET SERVO FVGITIVO.

Malo non esse *ditces* addendum malum.
Servus profugiens dominom naturae asperae
Aesopo occurrit, notos e viciniâ.
Quid tu confusus? Dicam tibi clare, pater;
Hoc namque es dignus adpellari nomine,
Tuto querela qoia apud te deponitur.
Plagae supersunt *semper mihi post verbera*;
Subinde ad *verberandum deficiunt manus*.
Domi si coenat *dominus*, persto noctibus:
Sive est vocatus, *vigilo* ad locem in *semitâ*.
Emeroi libertatem; canus servio.
Vllius essem colpae si mihi conscius,
Aeqoo animo ferrem. Numqoam sum factus satur;
Et super, infelix! saevum patior dom*inum*? *Ego*
Has propter caussas, et quas longum est promere,
Abire destinavi quo tulerint pedes.
Ergo, inquit, audi. Quum mali nil feceris,
Haec experiris, ut refers, incommoda.
Qoid si peccâris? quae te passurum putas?
Tali consilio est a fugâ deterritus.

FABVLA XXI.

DE EQVO CIRCENSI.

Ferendum aequo animo est quidquid acciderit *mali.*
Equum e quadrigâ multis palmis nobilem
Abegit Quidam, et in pistrinum vendidit.
Productus ad bibendum quum foret a molis,
In circum aequales ire conspexit suos,
Vt grata laudis redderent certamina.
Lacrimis obortis, Vivite felices, ait:
Celebrate sine me cursu solemnem diem;
Ego quo scelesta *furis* adtraxit manus,
Ibi sorte tristi fata deflebo mea.

FABVLA XXII.

DE VRSO ET CANCERIBVS.

Si quando in silvis Vrso desunt copiae,
Scopulosum ad litus currit, et prendens petram
Pilosa crura sensim demittit vado.
Quorum inter villos simul haeserunt Cancri,
Intortsm adripiens excutit praedam manu,
Escâque fruitur passim collectâ vafer.
Ergo etiam stultis acuit ingenium fames.

FABVLA XXIII.

DE VIATORE ET CORVO.

Verbis saepenumero homines decipi solent:
Quidam per agros *divitis* carpens *iter*,
AVE, exaudivit, et moratus paullulum,
Adesse ut vidit neminem, coepit *gradi*.
Iterum salutat idem ex occulto sonus.
Voce hospitali confirmatus restitit;
Vt, quisquis esset, par officium reciperet.
Quum circumspectans errore haesisset diu,
Et perdidisset tempus aliquod; illi*co*
Ostendit se se Corvus, et supervolans,
AVE usque ingessit. Tum se lusum intelligens,
At tibi male sit, inquit, ales pessime,
Qui festinantes sic detinuisti pedes.

FABVLA XXIIII.

DE PASTORE ET CAPELLA.

Pastor Capellae cornu baculo fregerat.
Rogare coepit, ne se domino proderet.
Quamvis indigne laesa, reticebo tamen;
Sed res clamabit ipsa quid deliqueris.

FABVLA XXV.

DE SERPENTE ET LACERTA.

Serpens Lacertam forte adversam prenderat;
Quam devorare patulâ quum vellet gulâ,
Adripuit illa prope iacentem surculum:
Et pertinaci morsu transversum tenens,
Avidum solerti rictum fraenavit morâ.
Praedam dimisit ore Serpens irritam.

FABVLA XXVI.

DE CORNICE ET OVE.

Odiosa Cornix super Ovem consederat;
Quam dorso quum tulisset invita et diu;
Idem, inquit, si forte fecisses cani,
Poenas dedisses. Illa contra pessima:
Despicio inermes *equidem et* cedo fortibus;
Scio quos lacessam, *queis* dolosa blandiar;
Ideo senectam *per tot* annos prorogo.

FABVLA XXVII.

DE SERVO ET DOMINO.

Nullum maledictum est gravius conscientiâ.
Quum Servus *numos simulans quosdam solvere*,
Vxorem Domini *constu*pravisset sui,
Idque ille sciret *fore clam* circumstantibus,
Placet tibi? inquit; qu*od herae* non debes, placet?
Sed non impune. Quia mî debes, non placet.

FABVLA XXVIII.

DE LEPORE ET BVBVLCO.

Multi infideles pectore, verbis benevoli:
Quum Venatorem celeri pede fugeret Lepus;
Et a Bubulco visus veprem *ad*reperet;
Oro per superos perque spes omnes tuas;
Ne me iudices, Bubulce; nihil umquam mali
Huic agro feci. Et Rusticus, Ne time, retro
Late securus. Iamque Venator sequens;
Quaeso, Bubulce, numquid huc venit Lepus?
Venit, sed abiit hac ad laevam; et dexteram
Demonstrat nutu partem. Venator citus
Non intellexit, seque e conspectu abstulit.
Tunc sic Bubulcus: Ecquid? est gratum tibi

Quod is celavi? Linguae prorsus non nego
Habere atque agere maximas me gratias,
Verum oculis ut priveris opto perfidis.

FABVLA XXVIIII.

DE IVVENE ET MERETRICE.

Quum blandiretur Iuveni Meretrix perfida;
Et ille laesus multis saepe iniuriis
T*andem tentare*t se se *falsum conque*ri,
Sexcenti, inq*uit*, *rivales muneribus* licet
*Contend*ant, ego te plurimi facio tamen.
Iuvenis recordans quoties deceptus foret:
Lubenter, inquit, *mea* lux, hanc vocem audio,
Non quod fidelis, sed quod iucunda est mihi.

FABVLA XXX.

DE FIBRO ET VENATORE.

Canes effugere quum iam non possit Fiber;
Graeci loquaces quem dixerunt Castorem,
Et indiderunt bestiae nomen dei,
*Va*ni qui iactant se verborum copiâ;
Abripere morsu fertur testiculos sibi,
Quia propter illos sentiat se se peti.
Divinâ fieri quod ratione non negem;

Venator namque simul invenit remedium;
Omittit ipsum persequi, et vocat canes.
Hoc si praestare possent homines, ut suo
Vellent carere, tuti posthac viverent.
Haud quisquam insidias nudo faciet corpori.

FABVLA XXXI.

DE PAPILIONE ET VESPA.

Papilio Vespam *praelio invictam videns* :
O sortem *indignam! a mulis membra tu accipis* ;
Quorum *excrementis orta* : *nos ab equo sumus*.
Ego, loquens in *paternis*, fortis praeliis ;
Arte omni princeps *cogito* qualis fui!
En cuncta levitas putris et volatilis!
Tu qui fuisti mulus clitellarius,
Quemcumque visum est laedis fixo aculeo :
Et Vespa dignam moribus vocem edidit:
Non qui fuerimus, sed qui nunc simus *vide*.

FABVLA XXXII.

DE AVE TERRANEOLA ET VVLPE.

Avis, quam dicunt Terraneolam rustici;
In terrâ nidum quia componit scilicet;
Forte occucurrit improbae Vulpeculae:
Quâ visâ, pennis altius se sustulit.
Salve, inquit illa; cur me fugisti, obsecro?
Quasi non abunde sit mihi in prato cibi!
Grylli, scarabei, locustarum copia
Praesto est. Quid metuas rogo? te multum diligo,
Propter *tam* sanctos mores et vitam probam.
Respondit contra: Tu bene *qui*dem praedicas;
Non *socia sum* pro*pterea* tibi, sed subvolo.
Quin seque*ris praedam*?; et*iam* tibi committo meam.

FELICITER.

PARAFRASI

IN VARIO METRO ITALIANO DELLE NUOVE FAVOLE DI FEDRO
TROVATE DA GIO: ANT. CASSITTO
DA LUI STESSO ESEGUITA

ALLA SIGNORA EMILIA CAPPETTI

Mia carissima nuora.

Mi avete più volte richiesto il senso di questi Apologhi elegantissimi di Fedro, che trovai nella Biblioteca Reale allora appunto, che quì celebraste le nozze coll' unico mio dilettissimo figlio Romoaldo. Scrissi per compiacervi la poetica traduzione di così vaghi e preziosi componimenti. Mi risolvo a publicarla, or che comparisce la terza più corretta edizione del latino originale, affinchè gli serva di commentario. Intitolo a voi una fatica fatta per voi. Serbatela per la istruzione del nostro bellissimo e spiritoso Giovannino, e come un picciolo mio ricordo. I lumi, e le virtù che vi adornano, e cara vi fanno al sensibile sposo, alla famiglia, alla patria, troveranno in quest' opuscolo (sfigurate per altro dal copista) le grazie semplici, e la bella morale del nostro poeta filosofo, e quindi non vi annojerà la lettura. Vivete felice.

Napoli 10. *Marzo* 1811.

FAVOLA I.

LA VOLPE E LA SCIMMIA.

Al Volpon dicea la Scimmia :
Non ho coda ; ricopritemi
Nudità così ridicola .
Chiedo un pezzo per limosina
Della coda a voi superflua .
Disse allor quel brutto zotico :
Voglio intatto questo strascico .
Mi contento che lo strappino
Per la strada spine e ciottoli
Ma un sol fiocco un pelo un' atomo
Non ne avrai , se preghi un secolo .
Vedi là con robe imprestito
Chi vuol far la bella giovane !

FAVOLA II.

IL POETA.

Ciò che scrivo in queste frottole
Loda il probo , e loda il discolo .
Ma colui con labro semplice ,
E 'l briccon soppiatto brontola .

FAVOLA III.

DELLA CONDIZIONE DEGLI UOMINI.

Se Natura, a nostro arbitrio
Fatto avesse l' uman genere,
Ben fornito, e non vedrebbesi
Imperfetto vile e debole.
Tutti certo avrebbe i comodi
Che la Sorte assai propizia
Diede a' bruti. Esempigrazia
Di Elefante irresistibile
Forza avrebbe, nobil' impeto
Di Leone, età lungbissima
Di Cornacchia, brio di burbero
Toro, e dolce mansuetudine
Di cavallo al corso celere.
Ma frattanto Giove applaudesi
Da se stesso, o ride tacito
Solo solo nell' empireo,
In pensar ch' ebbe giudizio
Tanti pregi a non concederci;
Che l' uom forse temerario
Stato fora insino al termine
Di strappargli senza ostacolo
Il baston del sommo imperio.

Restiam dunque contentissimi
Dell' a noi segnato incarico .
Stiamo attenti , nel percorrere
Il fatal di vita stadio ,
Di ridurre a giusti limiti
Tanti sforzi a desiderj .
Che nascemmo rammentiamoci
Per la morte e le miserie .

FAVOLA IV.

MERCURIO E DUE DONNICCIUOLE.

Dua Donnicciuole povere
Nel loro ostello succido
Con trattamento improprio
Mercurio un dì albergarono ;
Che viaggiava incognito.
L' una di queste femmine
In fasce aveva un bambolo ;
E l' altra dilettavasi
Del lucro meretricio .
Il dio partir dovendosi ,
Mentre sortia dall' atrio,
Pensò con qualche grazia
Non disuguale al merito

Rimunerar quelle ospiti .
Signore stimatissime ,
Mi levo alfin la maschera ;
Io sono il dio Mercurio .
Ogni favor chiedetemi ,
Che l' otterrete subito .
La Madre allor la supplica ,
Che presto al figliuol piccolo
Vegga la barba crescere .
Quell' altra per contrario
Prega che appresso vadala
Quanto toccar l'è lecito .
Mercurio vola in aria .
Le donne in casa tornano ;
Ecco il bambin miagola
Con barba da filosofo .
La putta allo spettacolo
Dalle risate sganghera ;
E come suol succedere ,
Nello sforzarsi a ridere ,
Di troppo umor linfatico
Il naso a lei si carica .
Va per forbirlo , piglialo
Tralle sue dita , ed eccoti
Il naso , che le seguita ,
Lungo lungo lunghissimo

Sino a terra discendere.
Ben le sta. Compiacevasi,
Di porre altri in ludibrio?
Ed ora essa medesima
Si è fatta altrui ridicola.

FAVOLA V.

DELLA VERITA', E DEL MENDACIO.

Il cretajuolo artefice
Del nuovo umano genere,
Intesi dir Prometeo,
Compose di majolica
La Verità, impiegandovi
Sottile e lungo studio:
Che amministrare agli uomini
Doveva la giustizia.
Per chiamata sollecito
Di Giove, lasciò l' opera,
E andò: restando in guardia
Della bottega un giovane
Per nome Inganno, presosi
Pocanzi per discepolo.
L' Inganno solo e libero,
Godendo tempo ed ozio,

Spinto da forte genio
D' esser nell' arte egregio,
Con manó industre e celere
Un simolacro effigia
Quasi del tutto simile;
Ma a fare i piè, che mancano,
Creta non ha bastevole.
Viene il maestro, e timido
Ritorna alla sua sedia.
Riman Prometeo stupido
Mirando le due statue
Tra loro similissime;
Ma brama far conoscere
Per suo decoro e gloria
Quanto nell' arte è pratico.
Piglia le statue, infornale,
E quando cotte furono
In quelle soffia l' anima.
La Verità, l' amabile
La bella dea principia
Soavemente a muoversi,
Marciando a passi placidi:
Ma non così la storpia
La contrafatta Copia.
Piedi non ha il degenere
Fantoccio e resta immobile.

Questa imperfetta Immagine
D' opra furtiva e spuria,
Fu detta allor *Mendacio*.
Oggi non darti a credere
Che abbia i suoi piedi. Miralo;
Che in piè non si può reggere.

FAVOLA VI.

IL POETA.

Celati i visj
Sono spess' utili;
Ma il tempo smaschera
La Verità.

FAVOLA VII.

LE PENE INFERNALI.

Issìon, come si dice,
Dalla ruota è volto in giro:
La fortuna in lui rimiro,
Che ci tragge ognor volubile,
Nè riposo alcun ci dà.
Il gran sasso all' alto monte
Porta Sisifo con stento;
Ma il sudore e' getta al vento;

Posto il sasso là sul vertice,
Rotoloni in giù sen va.
Le giornate ciò figura,
Che una appresso all' altra vanno:
E ne' dì, che si succedono,
Sempre è nuovo il nostro affanno,
Sempre è vano ogni sudor.
Sino al gozzo in acqua immerso
Ecco un uomo arso di sete;
Egli è Tantalo, il vedete,
Che si strugge, che desidera,
Ma non gusta del liquor.
Veri Tantali veggiamo
Spasimare i nostri avari.
Stanno in mezzo a' lor denari,
Che a toccar sempre gl' invitano;
Ma non possono toccar.
Le Danaidi nel tinello
Versan quasi d' acqua un fiume;
Esce sempre dal cocchiume.
Le infelici si disperano,
Che no 'l ponno ricolmar.
Tu ogni sorta di piacere
Ti procacci a sommo stento;
Nè ti appaga alcun contento:
Che dal fondo ognor dell' anima
Se ne scappa ogni piacer.

Tizio sta gigante steso
Sopra un moggio di terreno,
Nè il gran fegato vien meno
Al grifagno uccello orribile,
Che beccando ognor lo sta.
Quanto un' uom più terre acquista
Più si acquista ancor di pene;
Son simboliche le scene,
Che dipinse là nel Tartaro
La prudente Antichità.

FAVOLA VIII.

L' ORACOLO.

Febo, che il tempio Delfico
Hai per tua sede eletto,
Ascolta pur le suppliche
Del Vate tuo diletto.
Io vo cercando l' utile.
Io voglio esser felice;
Voglio sentire, Apolline,
Il nume tuo che dice.
Già il crin tiene irto ed orrido
La gran Vergin del dio;
Già i tripodi saltellano
Con tristo tintinnio,

Il nume entro al sagrario
Rimugghia come toro.
Il giorno si fa pallido:
Barcolla il sagro alloro.
Si asside ecco la Vergine:
Ecco rabbiosa esulta;
Che l' aura sotterranea
L' entrò nell' alvo occulta.
Al fin dal petto erompono
I soffogati accenti,
E le avvertenze apprendono
Del biondo dio le genti.
Dovete in prima, o popoli,
Al cielo esser devoti,
E in soddisfar solleciti,
Se ne faceste, i voti.
Colle armi poi la patria,
I genitori, i figli,
Le caste spose, intrepidi
Salvate da' perigli.
Mentre l' ostile eserrito
Col ferro allontanate,
La mano soccorrevole
A' vostri amici date.
Perdonerete a' miseri.
Favorirete i buoni.

Con generoso spirito
Schiacciate i trappoloni.
Il reo trovi il supplizio.
L'empio per tal si additi.
Pera chi macchia i talami.
Il tristo ognuno eviti.
Nessun sia troppo credulo . . . .
Volea finir, ma tacque
La donna già maniaca,
E stesa in terra giacque.
Fu certo della Pitia
Grandissima pazzia,
Se volle in mezzo al popolo
Sputar filosofia.

FAVOLA IX.

ESOPO, E 'L CATTIVO AUTORE.

Poicchè finì di leggere
Un giovin saputello
Certi suoi scritti insipidi
Al nostro Vecchierello,
Scrittaeci, in cui lodavasi
Colla sua propria bocca;
Esopo sentì tedio
Di un' opera sì sciocca.

Ma quegli allor : Confessálo :
Non son di gloria degno ?
Non sono un bello spirito ?
Non sono un bell' ingegno ?
Fai bene, figlio , lodati
Quanto lodar ti sai .
Per darti qualche elogio
Altri non troverai .

FAVOLA X.

IL MAGNO POMPEO, E 'L SOLDATO.

Nella truppa avea Pompeo
Un bellissimo Soldato ;
Ma perchè squasimodèo ,
Lo credeano effemminato.
Era grande di persona :
Balbettava accenti languidi :
Camminava alla carlona .
Una notte , che veniva
Il *furgon* del Generale ,
Quel Soldato a forza viva
Lo rapì dal vetturale .
Ma il rumor fu divolgato :
E colui tosto al pretorio ,
Come ladro , fu portato.

Dice il Magno: Or tu hai da dire,
Camerata mio galante,
Come avesti tanto ardire
Di rubare il Comandante?
Il Soldato sulla mano
Sputa allora, e dimenandola
Fa lo sputo andar lontano.
Così possan gli occhi miei
Gocciolar, mio Generale,
Se tal cosa viddi, o fei:
Incapace allor del male
Fu creduto dal Consiglio,
E a Pompeo di cor magnanimo
Parve un debole coniglio.
Un nemico ecco feroce
Accostandosi al fossato,
Disfidava in alta voce
A duello ogni soldato.
Tutti i primi capitani
Con Pompeo tra lor borbottano
Pel cimento de' Romani.
Ma il bardassa in apparenza,
Ch' era un Marte aspro e feroce;
In veder quella temenza
Ne ridea con molle voce:
E poi riso ch' ebbe un pezzo;

A Pompeo sedènte in carica
Fece un gesto di disprezzo.
Disse irato allor Pompeo:
Strascinatelo là fuora,
Sì per Bacco, il cicisbeo
Sia gettato alla malora.
Ebbe sorte in quell' istante;
Che trovossi a fianco al Principe
Un di lui vecchio Ajutante.
Proporrei, quel Vecchio disse,
Che al duello costui vada.
La sua morte se avvenissa,
Certamente niun vi bada.
Non va ben che un' uomo forte
Vi si azzardi, e poi v' imputino
La sua perdita, o la morte.
Questo piacque al Generale.
Il gentil Cacazibetto
Va in duello, ed al rivale
Tronca, zaffe, il capo netto:
Poi nel campo il piè riporta,
Tragli applausi dell' esercito,
Che virtù sì bella ha scorta.
Tutto lieto il Duce allora:
Ecco, o bravo, io t' incorono:
Il valor da me si onora,

E di te contento io sono.
Tu per forza e per destino
Vendicasti oggi la gloria
Dell' esercito Latino.
Ma, parlando in confidenza,
Non mi gabbi; so chi sei:
Gocciolare in tua presenza
Così possan gli occhi miei.
(E la succida azione
Del Soldato intanto replica)
Se non tieni il mio *furgone*.

FAVOLA XI.

GIUNONE, VENERE, E LA GALLINA.

Giunone si vantava
D' intatta pudicizia.
Cipria, che l' ascoltava,
Non contradisse affatto,
E inventò un certo tratto
Per mover la risata
Di tutta la brigata.
Quindi a chiarire i numi,
Che almeno le altre femmine
Diversi hanno i costumi,
Una Gallina chiama,

Che seco alleva ed ama.
Vien quà vien quà mia cara,
Mia semplice massara:
Per saziarti, o bella,
Quanto vorresti in grazia?
Mi basta, disse quella,
Qualunque cosa dai;
Purchè permetterai,
Che qualche volta almeno,
Io ruspi nel terreno.
Va male: non mi piace:
Non voglio che più ruzzoli,
Se pur ne sei capace.
E in premio, di? che vuoi?
Fa bene i conti tuoi.
Un moggio di formento
Farà il tuo cor contento?
Anzi è soverchio ancora;
Ma intanto, deh! concedimi
Quel ruzzolar talora.
Su via; facciamo un patto:
Che cerchi a conto fatto
Per non ruspar giammai?
Cerca che tutto avrai.
Ma il natural difetto
Confessa allor la semplice;

L' offerta io non accetto ·
Che un magazzino intero
Tu puoi donarmi, è vero;
Ma per bisogni miei
Pur sempre rusperei.
Giunone si fa rossa,
E ride un poco, e ridono
I numi a tutta possa;
Perchè la dea agualdrina
Spiegò colla Gallina
Quello che san le gonne
Di certe sante donne.

FAVOLA XII.

IL GIOVENCO, E IL BUE VECCHIO.

Un Signor teneva un figlio
Rozzo, fiero, impertinente;
Quando il padre stava assente
Alla mazza dea di piglio,
E la gente di servizio
Con mazzate, e con malanni
Manteneva in esercizio
Pel furor de' fervid'anni.
Or quel padre Esopo affronta,
E un' apologo racconta,

Per arare un buon Villano
Pose al giogo uniti insieme
Il Giovenco, e 'l Bue decano.
Il decan bestemmia, e freme.
Non son pari al mio compagno:
Mi ha sfinito la vecchiezza.
Deh, perdona se mi lagno:
Tu mi tratti con durezza.
Tira tira un poco adesso,
Fatti merto col padrone,
Al lavoro non ti ho messo;
Non ho questa intenzione.
Al Giovenco io ti fo sozio
Per domarlo, giacchè in ozio
Era sempre aspro inquieto,
Come diavolo in canneto;
E ne' campi poi scappato,
Con quel corno micidiale
Parecchi uomini ha mandato
Per curarsi allo spedale.
Se tener dunque non vuoi
Il figliuolo a' fianchi tuoi:
Se allettar non sai bel bello
Quel frenetico cervello;
Bada bene, che i bisbigli
Non si accrescan de' famigli.

Gran rimedio a tanta asprezza
È il domarla con dolcezza .

FAVOLA XIII.

ESOPO , E IL LOTTATORE.

Un certo Lottatore
Bravo millantatore ,
Si affibbia la giornea ,
Che al giuoco vinto avea .
Esopo non lo tollera .
Ma , dimmi , l' avversario
Avea più forti i muscoli
Avea più larghi gli omeri ?
Oibò , colui rispose :
Ho membra più nervose .
Ma dunque se vincesti ,
Tu qual prodezza festi ?
Se un forte vince il debole ;
Qual vanto il forte merita ?
Il meno forte ha lode
Se vincere sa il prode .

FAVOLA XIV.

L' ASINO ALLA LIRA.

Una Lira
Nel pratello
Stava al suolo.
La rimira
L' Asinello
Tristanzuolo,
E si accosta per suonar:
Cogli unghioni
Tocca i fili.
Suonan quelli.
Son pur buoni!
Son gentili!
Son pur belli
Questi accenti ad ascoltar!
So di canto.
Troppo è vero:
Questo è il vanto
Del Somiero.
Ma nel suono
Nuovo io sono;
Nè so i bischeri accordar.
Ah se qui

Fosse Orfeo !
Qual saria
L' armonia ?
Certo sì ,
Certo , certo ! nell' Odéo
Noi faremmo gran concerto
E' col suono , io col cantar !
I talenti
Sbatte a terra
La sventnra :
Fa lor guerra
Gli sfigura :
O al più più ,
Se vi fu
Genio raro
Pellegrino :
Per destino ,
In potere
Di un Somaro
Andò a cadere .

FAVOLA XV.

LA DONNA ED IL SOLDATO.

Una Dama con doglioso
Con sonoro piagnistèo ,

Perso ch' ebbe il caro sposo,
L' accompagna al mausoleo.
Son tentati mille modi
Per staccarla dal marito.
Ma non volle: e acquistò lodi;
Ed un credito infinito.
Vi era un ladro in croce appeso,
Presso al luogo, ov' ella stava;
E perchè non fusse preso,
Un Soldato lo guardava.
Ma lasciò la sua vedetta
Per la sete alla tard' ora,
Cercando acqua alla donnetta;
Che serviva la Signora.
Gli fu l' uscio mezzo aperto.
Seminuda era la Dama.
Per aver troppo sofferto
Finalmente il letto brama;
Dalla picciola apertura
Il Soldato la rimira:
Trova scarna la figura,
Ma pur bella, e ne sospira;
Arde il core in un' istante
Di quel pessimo sparviere.
Non si regge in sulle piante
Per le scosse del piacere.

Gli dà mezzi il furbo Amore
    Per andare e per venire .
    Cominciossi ad ammollire
    Della Dama per ciò il core .
Poichè il nodo fu più stretto ,
    Sempre a' piedi della bella
    Il Soldato pien d' affetto
    Già facea la sentinella .
Dalla croce , ecco , un parente
    Ruba il corpo condannato .
    Come poco diligente
    Già morir deve il Soldato .
Alla Dama l' infelice
    Narra il fatto , piange , trema .
    Non penar , Costei gli dice ,
    Vana è , caro , ogni tua tema .
Del marito in croce tosto
    Pose il putrido carcame .
    Così donna tanto infame
    Si usurpò di onore il posto .

FAVOLA XVI.

LA SPOSA CON DUE PRETENSORI .

Quando tempeste aduna
    La torbida fortuna ,

Giura, che il giorno appresso
Tornar non può lo stesso.
Tra loro spesso alternano
L'affanno ed il piacer.
Una gentil Donzella
Due pretensor chiedevano;
Il genitor di quella
Il ricco volle scegliere,
Scartando l'altro povero,
Ma bello e cavalier.
Vien delle nozze il giorno.
Il Cavalier non tolera
Tanto dispetto e scorno;
E in una casa rustica,
Che alle muraglie ha prossima;
Fin dal mattino va.
Quivi splendea vicina
La marmorea dell'emolo
Ricchissima casina.
Là deve andar la Vergine:
Che angusta era al ricevere
La casa di città.
Ecco verso la sera
La nuzial magnifica
Procession si schiera:
La segue in folla il popolo:

Scuote la face in aria
Imene precursor.
Fuor delle porte stava
Del Cavaliere un' asino;
Che affitti gli fruttava.
Lo affitta per la giovane,
Onde il bel piè risparmj,
L' accorto genitor.
Tutto ad un tratto il cielo,
Per gran pietà di Venere;
Oscuro ammanta un velo.
Tuoni tremendi rombano,
E di una notte orribile
Preparano il terror.
Il dì più non si vede,
Ma notte, pioggia, e grandini;
Ognuno si provvede
Di asilo entro a' tugurj.
L' asino corre al prossimo
Tetto del suo signor.
Giunto, il felice arrivo
Al suo padrone annunzia
In alto suon festivo.
Si affaccia il servo, e miralo
Che in dosso tien la Vergine;
Va dentro a rapportar.

Il giovanè dolenta
Fra pochi amici stavane
Per deviar la mente
Spessi bicchieri a bevere;
Scena così gradevole
Lo fa risuscitar.
E in lieta compagnia,
Mosso da Bacco e Venere;
La Sposa che desia
Si unisce in dolce vincolo;
De' genitori esprimere
L' angoscia non si può;
Va in giro il banditore
Per tutto ricercandola;
E l' altro Pretensore
Piangeva da frenetico.
Tutto poi seppe il popolo;
E i numi allor lodò.

FAVOLA XVII.

ESOPO E LA PADRONA.

Non chi spaccia il suo pensiero,
Ma chi tace merta lode,
Sempre ha pace, sempre gode

Chi a parlar non è leggiero .
Era Esopo servitore
D' una femmina assai brutta ,
Che la casa avea distrutta
Per forbirsi a tutte l' ore .
Tutti gli abiti più belli
Eran suoi , tutti i giojelli .
Ma non danno argento ed oro
La beltà come il decoro .
Non trovavasi un romito ,
Che in lunghissima astinenza
Le toccasse il picciol dito
Sol per pura convenienza .
Viene Esopo : Posso dire ?
Parla , dì . Parlo Signora ;
Spiega agli uomini in buonora
Le tue voglie con ardire .
Ma per giungere all' intento
D' ogni cosa che più vogli ,
Stimerei che pria ti spogli
Delle vesti , oro , ed argento ;
Se mi spoglio , Esopo mio ,
Da per me son più avvenente ?
Obò . Spogliati diss' io ,
Per vestir però la gente .
Il tuo letto starà a spasso

Se non segui il mio consiglio.
Quella allor con fiero ciglio:
Ti ho capito, babbuasso.
Se il mio letto in ozio resta,
Il tuo tergo esser no 'l deve.
Ecco Esopo che riceve
Di percosse una tempesta.
Alla donna poco dopo
Fu rubato un braccialetto.
O per vino o per dispetto
L' avea tolto il vecchio Esopo:
Chiama i servi essa in furore;
Confessate, o morti siete.
Dice Esopo; Or gabberete
Forse ogni altro servitore.
Io per me vi taccio il vero.
Que' baccelli vel diranno.
Ma perchè? Perchè non sanno,
Ch' io, per dirlo, il tergo ho nero.

FAVOLA XVIII.

IL GALLO, E I GATTI.

Fidarsi troppo è vizio,
Che fa gran pregiudizio.

Un Gallo andava in sedia.
  Due Gatti lo portavano.
  Fu scena di commedia
  Per quanti lo guardavano.
La Volpe era avversaria
  De' Gatti, onde il pericolo
  Avverte a quel ridicolo
  Stordito per tant'aria.
In faccia almen contemplali.
  Vi leggi la malizia?
  Va poi, capaci credili
  D'onore e di amicizia!
L'avviso fu profetico,
  Che i Socj quel bisbetico
  Sull'imbrunire uccisero,
  E i tocchi si divisero.

FAVOLA XIX.

LA SCROFA ED IL LUPO.

Lunga sempre e accuratissima
  Devi fare esperienza
  Pria che all'uomo anche di credito
  Doni amore e confidenza.
  Una Scrofa partorente

Strilla a terra; il Lupo sente.
Vien con trista intenzione:
Offre farle il mammanone,
Ti conosco, dice quella,
La tua razza è buona e bella,
Ma più caro a me sarai
Se lontano te ne vai.
Se credeva al traditore
Avea doglia assai maggiore.

FAVOLA XX.

ESOPO, E 'L SERVO FUGGITIVO.

Se il danno toleri, mezzo è quel danno.
Se non lo toleri, raddoppj il danno.
Un servo profugo stava in cammino.
Esopo incontralo suo buon vicino.
Perchè sì timido? Padre or lo dico:
Tal ti considero, non come amico.
Non v' è amicizia ne' giorni nostri;
Son tutti perfidi, son tutti mostri.
Io fuggo, misero!, perchè il padrone
Sempre istancabile mena il bastone.
Se in casa cenasi, vegghio in cucina,
O servo in tavola fino a mattina.

Se in qualche bettola per cenar vada,
Pur vegghio in guardia su di una strada.
Al fine or merito di esser già franco;
Ma servo trovomi col crine bianco.
Fossi colpevole; su via, pazienza!
Ma innocentissimo fo penitenza.
Mi tien quel barbaro a pane ed acqua,
E con rimproveri pur mi risciacqua.
Per tante angarie fo quel che vedi;
Dove mi portano già segun i piedi.
Ma, figlio, sentimi: sei tu innocente;
E il signor trattati sì crudelmente;
Or quanto, pensalo, sarà cattivo,
Se in man gli capiti da fuggitivo!
Per questa savia riflessione
Il Servo profugo tornò al padrone.

FAVOLA XXI.

IL CAVALLO DEL CIRCO.

Fuori orgoglio. Tutti i mali
Son fatali. - Puoi dall' alto
Giù cader con brusco salto.
Un Cavallo corridore
Con onore - fu ammirato

Nell' olimpico steccato.
Lo vendè per un molino
L' assassino - che lo sciolse
Da' compagni, e se lo tolse.
Egli un giorno all' acquedotto
Fu condotto. - Mentre beve
Gran cordoglio al sen riceve.
Tre compagni al corso aveva.
Li vedeva - per quel loco
Tutti tre passare al giuoco.
Piange allora: Evviva!, dice
L' infelice, - pur vi lodo,
Miei compagni; per voi godo.
Su via dunque, senza mia
Compagnia - in queste liete
Feste nobili vincete.
Dove il ladro scelerato
Mi ha portato - quì frattanto
Finirò la vita in pianto.

FAVOLA XXII.

L' ORSO ED I GAMBERI.

Quando all' Orso il vitto manca
Va dal bosco alla marina.

A uno scoglio ivi si abbranca,
E pian pian con arte fina
Fa calar ne' flutti algosi
Le sue cosce e i piè pelosi.
Tosto i Gamberi a' intralciano
Nella folta irsuta trappola;
E quel tanghero bestione
Cerca l' ispido calzone
Colla mano, e afferra stretti
A dozzine i Gamberetti.
Ma chi pose in zucca il sale
Al più stupido animale?
Dal famelico budello
Va l'astuzia nel cervello.

FAVOLA XXIII.

IL VIANDANTE ED IL CORVO.

Dalle picciole parole
Molto danno
Grave inganno
Partorire a noi si suole.
Mentre un' uom facea viaggio,
Nel passaggio
Pel poder di un ricco Nobile;

Da una grossa voce incognita
Sente dir *buon dì buon dì*.
Ferma attento un poco il piede.
Nessun vede,
E il cammin ripiglia subito.
La vociaccia ecco da un' angolo
Torna a dir *buon dì buon dì*.
Rinfrancato il passo arresta,
Perchè questa
Crede amica cerimonia,
E vorrebbe corrispondere
A chi onoralo così.
Perde il tempo; gli occhi gira;
E alfin mira,
Che scappato da certi alberi
Vola un corvo, e in alto crocita
Corocrò, buon dì buon dì.
Grida l' uom che si è trovato
Corbellato:
Ah briccon! ti roda il fistolo,
Che con tema, che con perdita
Tanto star m' hai fatto quì.

FAVOLA XXIV.

IL PASTORE E LA CAPRA.

Il Pastor col suo bastone
Alla Capra ruppe un corno.
Taci, o Capra, col padrone!
Già nessun mi ha vis'o attorno.
Benchè il mal non meritai,
O Pastore, io starò zitto.
Ma il mio corno parla assai,
E ti accusa del delitto.

FAVOLA XXV.

IL SERPENTE, E LA LUCERTA.

Un Serpente spaventevole
Presa ch' ebbe una Lucertola,
Spalancò sua gola orribile
Per chiapparla come pillola.
La Lucerta in tanto risico,
Per traverso addenta un prossimo
Fuscellino, è fermo serbalo.
Al Serpente fu impossibile
D' ingozzarla entro al suo baratro;

Che il fuscello era di ostacolo.
Imbrigliò sì bella astuzia
Il rapace desiderio;
E quel drago a mandar libera
Fu costretto la Lucertola.

FAVOLA XXVI.

LA CORNACCHIA, E LA PECORA.

La Cornacchia seccante,
Di mansueta Pecora
Sedendo sulla testa,
La becca e la molesta.
La Pecora le dice:
Un Cane se tu pizzichi,
Punir può il tuo reato
Con quel suo dente irato.
L'indegna allor risponde:
Spregio le inermi bestie,
Solo alle forti cedo;
E non fo male, io credo.
Chi ho da inquietar conosco.
Bisognan vezzi e morfie
Per altri? ebbene! io veggio
A chi far vezzi deggio.

Mira con questa mia
Finissima politica,
Lontani dagli affanni
Come prolungo gli anni.

FAVOLA XXVII.

IL PADRONE E IL SERVO ADULTERO.

Non vi è sorte d'improperio,
Non ingiuria e maldicenza,
Che più punga che più laceri
Del latrato di coscienza.
Un Domestico briccone
Di pagar fingeva un debito;
Ma il denaro mentre numera
Alla moglie del Padrone,
Negoziando a porta chiusa,
Gli suonò la cornamusa.
V' eran molti circostanti,
E il Padron, perchè l'ignorino,
Dice in gergo al suo Domestico:
L' hai pagata già in contanti?
Soddisfatta è la Signora?
Questo passi alla buonora.
Ci hai piacere? Ci hai del gusto?

Ma se hai reso a quella il debito,
Pur, lo so, ti è dispiacevole,
Che il tuo conto non va giusto.
A Colei niente hai da dare;
Con me troppo hai da scontare.

FAVOLA XXVIII.

LA LEPRE, ED IL BIFOLCO.

Taluni in bocca han mele,
Ma nell' interno fiele.
La Lepre sventurata
Fuggì dal cacciatore.
La vidde un' Aratore
Dov' erasi appiattata.
Per quanto hai caro al mondo;
Colei pregò piangente,
Ad anima vivente
Non dir che quì mi ascondo.
De' campi alla coltura
Non t' ho mai danno fatto.
Via, non temere affatto;
Quì dietro stai sicura.
Già il Cacciatore arriva.
Buon' uom, la Lepre hai vista?

(Da un cespuglio la trista
Vedea tutto , e sentiva .)
È corsa a quella parte ,
E il manco lato iosegna .
Ma il destro lato segna
Cennandolo con arte .
Il Cacciator fugace
Quell' accennar non vede ,
E move ratto il piede
Per un sentier fallace .
Dice il Bifolco : Ormai
Io ti ho salvata , o cara .
Per grazia così rara
Qual mancia a me darai ?
La Lepre allor gli dice :
Devo alla lingua molto .
Ma l'occhio ah ! ti sia tolto
Per sin dalla radice .

FAVOLA XXIX.

IL GIOVANE , E LA CORTIGIANA :

Una ragazza di genio pazza
Lasciò un' Amante fido e costante
Per altri cento , bandiere a vento .

Lo trova un giorno, gli corre attorno;
Gli fa la perfida le usate morfie;
Ma que' rammemora le antiche ingiurie
Tentando rompere l' indegna pratica;
E allor la Giovane gli disse: Ah! credimi;
Mille rivali con gran regali
Guerra ti fanno, ma non già danno;
Che in questo petto, lo giuro a' dei,
L' unico affetto, ben mio, tu sei.
Parola magica sarà pur questa,
Che a tanti miseri catene appresta!
E in fatti subito quel matto replica:
Dicesti *mio*? già *tuo* son' io.
Non cerco onore, virtù, dovere;
Cerco l' amore, cerco il piacere.

FAVOLA XXX.

IL CASTORO.

Il Castoro è un' animale.
Vedi i Greci che lingu' hanno!
D' un lor nume il nome danno
A questo ente irrazionale.
Poi si vantano che han bella
E ricchissima favella!

Or quel bruto , ne' pericoli,
Quando i caoi vede appresso ,
Strappa a morsi i suoi testicoli;
E gli getta al tempo istesso ;
Perchè sa ch' è ricercato
Pel lor balsamo odorato .
Coll' iodizio dell' odore
Trova in terra il Cacciatore
Que' bacelli; e lieto i caui
Si richiama aocor lootani .
A una bestia la Natura
Diè cotanta dirittura .
Uomo , e tu ooo hai coraggio
Di castrar gli averi tuoi ?
Da filosofo da saggio
Perchè oudo esser non vuoi?
Ma sai pur che il tuo vestito
Move a' furbi l' appetito .
Chi non tien qualche ducato
Non è mai perseguitato .

FAVOLA XXXI.

LA FARFALLA E LA VESPA.

La Farfalla in veder la Vespa forte,
Di credito, di vaglia,
Sempre invitta in battaglia:
Dolorosa esclamò. Barbara sorte!
Da un mulo nasci tu, che Vespa or sei;
Tu nelle sue sozzure
Membra vestisti impure;
E da un Destrier la vita io ricevei:
Brava anche io nelle pugne (e si favella
Delle paterne), in lui
Anche maestra fui
Di ogni tratto gentil, di ogni arte bella.
Un biltri or sono, un fracidume, un vento!
Tu mulo eri da basto.
E a tutti or fai contrasto
Col pungiglione, e a tutti dai spavento.
Diè risposta la Vespa a farle scorno,
Degna de' suoi costumi:
Farfalla! a dire assumi
Chi siamo adesso, e non chi fummo un giorno.

FAVOLA XXXII.

LA LODOLA TERRAGNOLA E IL VOLPONE.

Vi è una certa Lodoletta,
Terragnola che vien detta,
Perche in terra il nido pone.
S' incontrò con un Volpone,
E temendone l' assalto,
A gran forze volò in alto.
Dio ti guardi, signorina,
Tu mi fuggi? ma perchè?
Come? forse manca a me
Quì nel prato ogni rapina?
Quì vi è grande in questo prato
Cacciagion per ogni lato.
Vi son grilli a schiere a schiere,
Scarafaggi a torme intere.
Io ti porto un sommo amore,
Perchè uccello sei di onore,
Di santissima coscienza.
Lascia or via la diffidenza.
Si alza più la Terragnola
Per quell' ultima parola.
Volpon mio, non dici male

In lodar la mia morale.
Così innalzo perciò il volo
E a predar ti lascio solo:
Preda tu; non ho sospetto;
La mia caccia a te commetto;

F I N E.

MANTISA

IN QVA HABENTVR

I. Emendationes Novissimae in Phaedrum Cassittianum.
II. Vindiciae priores Phaedri Cassittiani.
III. Coniecturae de Polybio, qui Phaedrus.
IIII. Chronologia Fabularum Phaedri.
V. Parva Scholia.
VI. Iudicia Virorum Illustrium.

I. EMENDATIONES NOVISSIMAE

IN PHAEDRVM CASSITTIANVM.

FABVLA v. v. 3. Vt iura posset inter homines reddere. *Ita M. S., si nupero editori credimus, qui centum se oculos habere putat, et iuvencam servasse. Videmus plane illum in pavonem incedere; nisi graculus lateat.*

Ibid. v. 20. Tunc falsa Imago, atque operis furtivus labor. *M. S.*

FAB. VII. v. 1. *Per traiectionem legendum puto;*

Ixion, qui iactari narratur rotâ,
Volubilem Fortunam versari docet.

Optime dicitur volubilis. *Ovid.* Passibus ambiguis *Fortuna volubilis* errat. *Recte etiam se habet* versari. *Tibull. Versatur* celeri Fors levis orbe rotae. *Satis haec protrita in scholis.*

v. 5. Sudore semper irrito revertitur. *Ita M. S., et prior editio nostra. Male in secundam, ac tertiam irrepsit* improbo.

v. 12. perfluet. *Serpens noster Epidaurius testatur ita pervidisse in M. S., non vero* perfluit.

FAB. VIII. v. 10. *M. S. habet*, Defendite armis, hostem ferroque pellite. *Nunc tandem intellexi legendum esse:* Defendite armis, ferroque hostem pellite. *Vult Pythia defensam ferro patriam; necnon etiam exterminatos*

hostes agris deinde propriis exui, quae vera est pellendi *significantia. Vide Goesium*, ad Gromaticos pag. 155., *etc. Editor Perottinus inconditum senarium ex apographo retinet, quia Pythia loquens inducitur quae in furore potuerit metrum oblivisci. Ne Claudius quidem imperator talia scripsisset. Sed commentarius reliquus dignior est Claudio, et proxime ad sapientiam eius accedit.*

FAB. X. *v.* 1. *Codex habet* ambulando molli... *Ego dedi* molliter *in tribus editionibus. Ergo ita reponendum graviter censuit Editor novitius. Atqui melius nunc suppetit* mollius, *Sic venuste solet Auctor, ut in Cassittianis nostris:* visus superbior, ad votum submissior; *et in Pithoeanis:* quidam curiosior, iter longius, altiori margine, tibicen notior.

FAB. XI. *v.* 14 denotavit *esse in M. S. pro eo quod dedimus* demonstravit, *adseverat is, qui cornicum oculos configit. Licet prius Phaedri stilo conveniat magis, attamen alterum non prorsus contemno.*

FAB. XII. *v.* 5. *In M. S. diligentius observato legitur,* Aesopus ergo narrat hoc breviter Seni.

v. 11. *Novitius editor narrat in M. S. esse* ... et cornu: *Recipiatur ergo*, Qui calce et cornu.

v. 13. *In M. S. est*. E.. ingenium. *Restituo*. Et saevum ingenium.

FAB. XIII. *v.* 7. *Illa*, Minus valentem si vicisti, *in tribus*

editionibus nostris, nescio quo fato, charactere italico repraesentantur, quasi a nobis suppleta, quum tamen sint in codice.

FAB. XV. *v.* 19. *Codex*, Vriturque sensim imp. . . . cupid . . *Video nunc legendum:* Et uritur sensim improbus cupidine.

v. 28. *Editor Perotti monet legi in M. S.* timeas, *ubi dedi* metuas. *Herbam porrigo.*

FAB. XVII. *v.* 5. *In M. S. est*, Licetne paucis? inquit. Dicas. Censeo, etc. *Amplector.*

v. 15. *Homo meus adfirmat in M. S. legi* ad verbera, *ubi exhibuimus in duabus edit.* et verbera. *Iam lege*, ac verbera. *Ipse vellet servos* voratos ad verbera, *et praeterea minatam fuisse dominam* gravia *nescio quae. Non improbo loquutionem*, vocat ad verbera, *licet ex Nizolio suo minime ad rem facientia exempla huc adtraxerit. Sed si servi* ad verbera *vocati sunt edicto disertissimo, cur deinde in edicto altero* gravia *proponuntur alia, nec iam amplius verbera? Vtique vocati ad verbera, statim vapulassent, aut saltem non magnopere aliis minis fuisset opus.*

FAB. XX. *v.* 12. *M. S.* „ mihi si „ *Male ter exhibui* „ si mihi.

FAB. XXVI. *v.* 5. Despicio inermes . . d . . et cedo fortibus. *Supplet Noster*, eadem. *Do manus libenter;*

atque haec prima est bona coniectura ex editoris tribus in sua illa rhapsodia Calpina.

v. 7. Supplevi per tot. *Melius* „ tot per.

FAB. XXIX. *v.* 3. *Altera est bona editoris coniectura ubi supplet*, Tandem praeberet se se facilem Mulieri. *Etiam in mea edit. princip.* „ se se facilem praebuit „, *nec tamen omnia plene tunc adsequutus sum.*

v. 8. *Dedimus*, est mihi, *ut plane in Codice scriptum. Sed blanditur* es mihi: *quae tertia ac postrema est editoris nostri non mala coniectio. Valeat tandem.*

FAB. XXX. *v. ult.* faciet *ego dabam. In M. S. tamen est* faceret, *idque recipio.*

FAB. XXXII. *v.* 6. *Vide ut haec repraesentet Perottinus liber.*

Quasi non abunde sit mihi in prato cibus:
Grilli, scarabei, locustarum copia:
.. est quod m ...., uas rogo te .. um diligo.

Opinor posse restitui.

Quasi non abunde sint mihi in prato cibus,
Grilli, scarabei, locustarum copia?
Quid est, quod metuas, rogo? te multum diligo, etc.

v. 10. *M. S.* Tu quidem bene praedicas. *Male ergo scripsimus*, Tu bene quidem praedicas.

Atque has tantum XXIII. lectiones in contextum recipi cupio.

II. VINDICIAE PRIORES

PHAEDRI CASSITTIANI.

Quum editio haec tertia prope esset ut prodiret, en tibi codex Perottinus integer venalis extruditur. Titulum inscripsere: Codex Perottinus M. S. Regiae Bibliothecae Neap. XXXII. Phaedri fabulas iam NOTAS, totidem NOVAS, XXXVI. Aviani VVLGATAS, et ipsius Perotti carmina INEDITA continens. *Fabulas quidem iam NOTAS edi frustra fuit, quarum ex eodem ipso Perottino codice varietates iam dederat Burmannus in* praef. comm. novi ad Phaedrum, *et nonnulli editores nuperi arripuerant. In Avieno vix quidquam boni suberat, aut si quid erat, pagellâ dimidiâ concludi potuisset. In iuvenilibus paucisque illis Perotti versiculis nugae merae, et chartae dispendium. Commentarius diobolaris, fere ex Forcellino haustus, tam lepidis emblematis incrustatus cernitur, ut merito cl. I. A. saepe scriptori, an exscriptori, dixerit patientiâ ipsum legentis abuti. Ergo editio integri codicis suscepta fuerit ob* XXXII. *fabellas NOVAS. Recte NOVAS dixere, non vero* ineditas *(ut Perottina carmina dixerunt) quas ego primus detexeram, adprobaveram, edideram. Aiunt nihilominus editionem principem nostram anni* 1808. tantum a fide codi-

cis abire et discrepare, ut e Regiae etiam Bibliothecae decore, atque e munere *Scriptoris* esset, ut genuinae fabulae, vel saltem sincerae codicis lectiones *Cassittianis* opponerentur. *Atqui, si nobiscum* sinceras lectiones *benigne communicassent*, decori *profecto suo melius consuluissent*. *Et tamen, ne illas nancisceremur, maligne caverunt, maluerunt que caudam per lutum et spinas trahere* (*de commentario loquor*), *quam nudo auctori contegendo vel pilum impertire*. *Fatentur*, codicem iugiter (*postquam ego scil. Phaedrum vulgaveram*) sub serâ et clavi *fuisse* custoditum. *Quasi vero laudi vertenda foret huiusmodi invidentia, nec potius crimen fuerit Gyaris dignissimum, ex Bibliothecâ a Rege omnibus civibus patefactâ librum subtraxisse, et usui publico denegasse. Neque tamen vel tale successit artificium. Distractâ enim principe editione, quum statim alteram, quoad fieri per me posset, emendatissimam cogitarem: ab Aloisio fratre atque amicis repetitam collationem M. S., prius quam indignis clathris coerceretur, obtinui. Hanc ego in editione alterâ centum exemplarium repraesentavi, et in istâ, quam teris, postremâ exhibui. Mussitant, amicos nostros ex typographeio regio schedia Perottina impetrasse. Atqui, ut vides, longe aliâ viâ rem confecere. Quod, etsi per schedia veriores quasdam lectiones elicuissent, scelestam Phaedri custodiam probe ulti forent. Si enim*

homo Bibliothecae addictus usque eo processerit, ut librum occulat publicum, et sub clavi et serâ solus iugiter custodiat; *utique ius est civibus reserandi arcam, immo etiam exacisclandi. Vitiosam porro editionem illam principem ego ipse ingenue sum fassus; neque adeo adtinebat invidioso et longo sermone literatos homines obtundi, ut mancam alicubi fuisse scirent. Sed tamen lutulenta fluxerit. Cur inde interpunctionem, atque emendationes omnes editor iste serotinus, meo nomine suppresso, sustulit, suasque fecit, sumto etiam, quae salsa res, Critici supercilio? Quod quidem subiectâ Scholia parvâ demonstrabunt. Addunt:* libellus *iste* Cassitti *penitus* fere intercidit, nec de eo per tam diuturnum temporis spatium quaesitum, agitatum, disceptatum quidquam est. *En rationem alteram, quare auctoratus editor in medium nunc processerit; nam pudenda illa, quae vera est atque unica motuum caussa, silentio tegenda erat, studium nempe adterendae laudis alienae. Sed sibi constant scilicet iucundi homines quum narrant*, libelluli nostri exemplaria Parisios usque et in peniotiorem Germaniam missa. *Neque ergo* libellulus intercidit. *Quid quod in Bibliothecas civitatis, non sine honore illatus? Immo et in archivo Academiae Italicae depositus est. Vide Acta*, tom. 1. part. 1. p. 50. *Doctissimus etiam Millinus* NAPOLEONI *a Bibliothecâ* (in Magas. Encycl. anni 1809. mense Maio) *haec habet.*

Monsieur Cassitto, philosophe distingué, donnoit une édition d'un nouveau livre des fables de Phedre, qu' il a decouvert dans la Bibliotheque Royale. *Praeterea Falsonius vir eruditissimus* (acta S. Fausti pag. IX.), *Anonymus* (Mem. per servire alla Stor. Vol. 1. Genn. 1809.), *et alii sexcenti, datis ad me literis gratulabundi plauserunt. Immo iam Parisiis Didotiana paratur editio, atque heic ego ad tertiam usque processi, quum codex iste re verá iam inutilis, et indecoro sordidus commentario profertur. Sed interciderit, licet, editio princeps, ut factum misere discuperent. Inclamo:* QVIS *fabulas primum detexit, Phaedri esse sensit, emendavit?* QVIS *edidit primus? Ad ravim usque inclamo,* QVIS?

Tacent, et albus ora pallor inficit.

Responderent, nisi aegre ferrent; fuit is, non Britannus, Germanus, aut Hispanus aliquis, sed civis noster IOANNES ANTONIVS CASSITTVS. *At blaterant:* Cassittus vix semel omnino, et quidem cl. Andresio indicante, Codicem vidit. *Esto; semel vidit, sed quae Phaedri erant primus vidit. Esto etiam; Andresio indicante vidit codicem, sed Phaedri in illo inedita solus et primus vidit, idemque eadem Andresio et populo probavit. Cur haec non addunt? Debuissent. Illud vero suavius:* Non ipse Cassittus fabellas ex Perottino codice exscripsit, sed Frater eius. *Sed Frater meus, post editas iam fabulas novas, et serius tan-*

icem, codicem, me rogante, tractavit, dum Neapoli per negotia abessem, ut sinceras mihi lectiones, et scripturae vestigia, quod accurate fecit, exsculperet. Res ergo et tempora confundere adnituntur, ut si inventione atque editione quaesitam mihi palmam praeripere non possunt, at saltem suffusis callide nebulis oblitteretur facti memoria. Narrabo tibi, qui legis, ipsam rem, ut inter viros honesto loco natos atque eductos agi oportet. Vir Amplissimus Ioannes Andresius, Loyolitarum Hispanorum decus non ultimum, Bibliothecae Regiae Praefectus, Onuphrio Gargiullio Antecessori atque Academico Regio inter paucos doctissimo negotium dederat, ut integrum Perottinum librum exscriberet iam putrem, et mox vetustatis fato cessurum. Atque hunc plane codicem Andresius illum ipsum esse, qui a Burmanno laudatur, nullo plane negotio deprehendit ex titulo. Nicolai Perotti Epitome Fabellarum Aesopi, Avieni, et Phaedri ad Pyrrhum Perottum fratris filium adolescentem suavissimum, *etc. Ipsum heic Andresium audire operae pretium est. (Storia dell' orig. progressi etc. tom. 2. pag. 450. edit. noviss.). „ Questo codice Farnesiano, ora della Real Biblioteca di Napoli, „ sembra incontrastabilmente il medesimo, che ritrovò il „ D' Orville in Italia, e ne diede notizia al Burmanno, il quale distintamente lo descrisse nella prefazione „ alla sua ediz. di Fedro del 1727. Lo stesso inchiostro*

„ verdastro, le stesse pagine guaste dall' umido, le stesse
„ parole smarrite, tutto in somma lo stesso, che il de-
„ scritto dal Burmanno . . . . Come questo è l' unico,
„ che si conosca in tutta l' Europa, onde giustificare il
„ Perotto a torto accusato da alcuni di plagiario, da
„ altri di falsario, e RETTIFICARE eziandio molti versi
„ e favole di Fedro, si rende estremamente pregevole
„ per la singolare rarità, e pel suo merito; ed ho cre-
„ duto, che non sarà discaro agli eruditi lettori l' aver-
„ ne questa notizia „ *Si ergo Andresius, si alii (de adversario non loquor nec dum illis diebus Neapolim adpulso) notum quid latebat in angulo habuissent, iam tum paeana iure meritoque cecinissent. Me tamen exspectabat Phaedrus meus, meosque in amplexus gestiens, nemini praeterea se indulgere destinaverat. Mitto quos fefellit, Dorvillium, Burmannum, Andresium, potentissimos reip. literariae proceres. Quis autem Gargiullio nasutior? At, nescio quo fato, vix priores paginas, indicem nempe atque prologum exceperat, qui si ulterius perrexisset, utique tenuerat Phaedrum; quum ego in Bibliothecam veni, ex codice Perottino varias mihi lectiones excerpere postulans. Andresius adcurrit, benigneque, ut solet, hominem accipit nec plebeium, nec sibi prorsus ignotum. Librum quidem non ipse* indicavit *(quod somniat Momus), sed modo mihi a Gargiullio traditum gratulatur. Iam codice tunc semel, ac ne*

vix quidem inspecto, incido in Fabulam de Asino ad Lyram, *aliasque mox ineditas plurimas, et,* O suavis anima! *statim inclamo. En Phaedrum! Phaedrum habeo! In quo lusum quemdam fortunae mirabilem agnosco, praeterea nihil; nisi si laudari forte possit aliqua nostra in Phaedro sentiendo peritia. Est enim, sicuti poeta monuit:* Usu peritus hariolo velocior. *Modeste, ut par erat, Andresius subdubitare, animi pendere. Qui auctorem meum probe nossem, gaudio dissilio, detectum mihi adsero fortiter, fabellas quasdam speciminis loco circumstantibus recito. Aderant enim cum Praefecto egregio, Bibliothecae Curatores alii Gargiulius, Perottus, Iustinianus, Iordanus, quos omnes mihi locupletissimos testes publice adpello. Meminerint, illâ ipsâ horâ haec accidisse, quum oblatus fuit a Iordano codex alius M. S. Iliada Latinam continens. Hanc ego pluries editam docui, ac Pindaro ridicule adtribui; quumque optimus Praefectus etiam haereret, syntagma Poetarum Pisaurense adferri iussi, poema typis excusum digito indicavi; addidi Polybii opus videri, nempe Phaedri, a Senecâ laudatum, meque id iam peculiari dissertatione probatum dedisse. Videbar cuidam ex honestissimo illo coetu res huiusmodi, tamquam fanaticus, profari: intellexi: cachinno sannam ostendi: verbum non addidi. Altum subsequitur silentium; atque in diaetâ illâ, quâ codices Mss.*

adservantur, ad sua quisque munia discedit. Coram ipsis ergo, nullà interiectâ morâ temporis, ad eumdem pluteum adsideo, in quo Gargiullius vir sine controversiâ doctissimus Lycophroni suo illustrando, et Aloisius frater meus regius Antecessor liturgicis monumentis Ecclesiae Neapolitanae eruendis, insudabant. Ita mihi omnes Phaedri ineditas fabulas per codicem disiectas collegi, et ad unam descripsi. Posterâ etiam die Bibliothecam adeo, librum resumo, scripta confero, gazâ laetus atque onustus discedo. Aderant, excepto Andresio, quos praedixi omnes. Ubi tunc, amabo, versabatur nuperrimus iste editor codicis Perottini? In barathro papilionis, *ut ipse loqui amat, et in provinciali quiete altum stertebat. Certe nec Bibliothecam de limine viderat, neque adeo Neapolim. Nam sero tandem huc advectus ad Andresium perreptavit. Tunc vero, ut audivit Phaedri opera a me iamdiu detecta, cum fratre meo et amicis codicem, rogatu meo, consulentibus, saepenumero perridiculâ rabie oblatrabat, Perotti esse, aut eruditi nescio cuius aequalis, quae Phaedro vindicaveram, sub eiusque nomine edideram. Quum idcirco rideri coepisset, eo confugit, ut extremo mense Novembri* 1808. *ab Archiepiscopo Tarentino V. CL. mandatum obtineret (* decretum regium *vocat), quo codex integer Perottinus typis palatinis traderetur, nostrisque luminibus officeret. Atque is anno* 1809. *(ut contendit)*

describi coeptus, nunc denique anno 1811. *foras prodit. Diu est quod sciverim, nonneminem ex Bibliothecâ non sine angore quodam animi vidisse, novas ibi fabulas a me primum inventas, homine extrario, atque, ut ipsis videtur, profano.* Cassittus, *aiunt*, edere EST AVSVS. *O impudentem profecto audaciam! Auctorem veterem tenebris aeternis damnatum, nec visum aliis, de gemoniis in forum deducere, populo ostendere, commendare posteris: o miram Cassitti audaciam! Debuerat saltem deprecari custodem, qui librum sibi ignota continentem,* iugiter sub serâ et clavi *custodiebat. Debuerat cerbero blandiri, ne Phaedrum orco ereptum cum suo comite et vindice latraret. Ac mihi ob audaciam tam insignem, bellum indicendum erat scilicet, poenaeque exigendae. Si tamen is ego sim, qui bella cum istis reformidem, aut pro benefactis ad poenas vocari me patiar. Qui si nasum ursinum adhuc fumantem fodicare pergent . . . Taceo.*

Excedit animus, quem proposuit, terminum;
Sed difficulter continetur spiritus,
Integritatis qui sincerae conscius
A noxiorum premitur insolentiis.
Qui sint requires? Adparebunt tempore.

CASSITTI

CONIECTVRAE DE POLYBIO QVI ET PHAEDRVS

Natus est Poeta in Pieriâ (Prol. lib. III.), *scil. inter montes Pangaeum et Rhodopen , fluviosque Strymona et Hebrum .*

Patrem habuit POLYBIVM LIBERALEM , *matrem* VELLECIAM . *Polybius quidem Liberalis salutatur pater Polybii Aug. liberti* (*Grater.* p. 75. n. 9.) , *atque hunc alterum non alium esse a Phaedro mox videbimus* Liberalis *dictus , ut a filio cognomine distingueretur ex more , quasi Dionysiacus . Sic in marmore Grut.* p. 226. n. 1. *habes Titum Flavium Titi filium* LIBERALEM HEDONICVM , *patriâ nempe Thraca Hedonicum , qui propterea a Libero Hedoniae deo nomen accepit . Bacchi sacerdotio proceres Thraciae fungebantur , ab iisque bellum instauratum adversus Romanos* (*anno Chr.* XXI) *docet Dio* , lib. LIII. *Liberalis Phaedri pater in aliâ epigraphe Grut.* p. 630, n. 1. *dicitur* , TIB. CLAVDIVS AVG. L. LIBERALIS PHILOLOGVS . *Erat olim C. Iulius Liberalis Aug. lib. ; deinde in Tib. Claudii domum cum poetâ filio transiit, ubi Tib. Claudius nominari coepit . Eamdem ob rem* C. Iulius Callistus

Caligulae libertus . [*Ioseph.* , Ant. XIX. 1. *Dio* , lib. LIX.] *deinde audiit* Tib. Claudius Callistus. [*Plin.* H. N. XXXV. 7.] *Pariter famosus ille Pallantis frater* Antonius Felix , *qui Antoniae matris Claudii libertus fuerat* , *deinde* Tib. Claudius Felix *adpellatus est* . *Hinc basis Puteolana* , *quam exscripsi anno* 1804 *Pausilypo in villâ comitis Thurnii* .

TI . CLAVDIO . FELICI . ACCENSI
AVGVSTALES . VNIVERSI

(*Accensorum Puteolanae coloniae clientela inde enata, quod Felicis uxor Drusilla, et Agrippa filius in viciniâ degerent, qui anno LXXIX, Tito rerum domino, per incendium Vesuvii cremati sunt* . [*Ioseph.* Ant. XX. 7.]

Matrem poetae dixi VELLECIAM . *Testatur id basis antiqua* . [*Grut.* p. 737. n. 2.]

POLYBIO . SOLVENS [h. e. Solvenses]
ET . VELLECIAE . MATRI

Similis decurrit inscriptio celeberrima Herculanensis .

M . NONIO . M . F . BALBO . PR . PROCOS
HERCVLANENSES

(*Quem ego Balbum Praetorem, ac Proconsulari gavisum imperio, Herculanensium civem fuisse arbitror, ut plures Balborum statuae detectae in Herculanei effossionibus confirmant* . *Vide* Opusc. Calogerà , tom. XLI. p. 55.) *Sed* SOLVENS*es Polybio ac Velleciae matri statuas excitarunt, quia in ipsorum clientelâ fuere* . *Porro* Solva *clarum*

numerabatur municipium in Norico. Puto a Vespasiano factam Coloniam, quoniam Plinio H. N. III. 24, *et in marm. Grut.* p. 727. n. 2. *urbs adpellatur* Flavia Solva. *Nunc* Sol-feldt *h. e.* Solvae campus. *Campestres enim sunt loci, idcirco stationibus equitum adsignati. Vide* Notit. imperii sect. LVI. *Nominatur quoque* Solva *in aliis inscriptionibus*. *Grut.* p. 537. 1. 559. 1. 802. 2. *Municipium ergo Solva statuas posuit, quoniam in Romanâ id coloniâ non facile licuisset, quum nota illa obstarent edicta Caii Caesaris, et Claudii. De statuis Apulens ibus infra disseremus. Nunc vides cur in epilogo libri II. illa cecinerit Noster :* Aesopo ingentem statuam posuere Attici, *etc. Iam* VELLECIA *nomen habuit petitum a* Vallaeis *in Thraciâ.* [*Plin.* H. N. IV. 10.] *Metropolis* Vallae *in Pieriâ auctoris patriâ fuit.* [*Ptolem. III.* 13.]. *Hinc* Vallachi *hodierni*. Velleciam *ego hanc nostram crediderim a Maecenate amatam, et sub* pellicis Pieriae *nomine ab Horatio celebrari III. carm.* 10. *v.* 15. *De his alibi.*

Schefferus natum putat Phaedrum tempore belli Thracici ab Octavio Augusti patre confecti, quia tunc potuerit infans cum captivâ familiâ Romam abduci. Belli epocham adnotat Suetonius [Aug. c. 3.] *proconsulatum Asiaticum Q. Ciceronis* [*ante Chr. LXI.*]. *Atqui Phaedrus scribit ad Eutychum* IV. 25., *et is anno XL. gratiâ Caligulae florebat* [*Ioseph.* Ant. XIX. 3.], *quum*

eius patrocinium sibi postulabat poeta . Favorem Caii in Cytichum *Suetonius quoque memorat* [*Calig. c.* 55.], *ubi ex mss. Sabellici* Eutychum *reponi suadeo . Ergo Phaedrus , ex docti Schefferi sententiâ, natus circa ann. LX. ante Christum DN., plusquam saecularis homo fuisset sub Caligulâ. At quomodo silicernium iactasset, ut fecit, aliquas sibi reliquias virilis aetatis , licet languescentes , tunc superare? Ego vero auctorem natum statuo anno XVI. ante aeram Christianam . Bella enim Thracum post eamdem gesta reperio annis XXI , XXVI , XLVI, LII. His si puerum Phaedrum in servitutem abductum facies , iam deprehendes tempori non convenire , quae de aetate suâ poeta scripsit Caio imperante . Ante Christum vero , si a bello anni LXI. discedas , ut necesse est ; non aliud occurret, nisi coeptum anno XVI. , quod selegi , et ab adolescente Tiberio sub Augusti auspiciis exeunte triennio profligatum est . APVLVM tunc erat caput insurgentium adversus Romam Thraciae populorum , ut colligo ex Pedone Albinovano ,* ad Liviam v. 384. *Quum ergo narret se in Pieriâ lucem adspexisse, et in scholâ mox Romanâ puerulum didicisse literas ; iam necesse est ponere , natum ipsum anno ante Chr. XVI. , anno postea XIII. abductum cum captivis ceteris a Tiberio fuisse , Romaeque nutriri in palatio atque doceri tunc ipsi contigisse . Id confirmant illa Phaedri IV.* 25.

Ego quondam legi quam puer sententiam;
Palam mutire plebeio piaculum est:
Dum sanitas constabit, pulcre meminero.

Ab Ennio sententia petita est. Proverbialis porro loquutio, Puer legi, *in scholâ discentem indicat. Hieronymus* ad Laetam de instit. filiae: Legi quondam in scholis puer:

Aegre reprendas quod sinis consuescere.

Idem, epist. XXXIII. ad Eustoch. Olim pueri legimus: Nihil tam facile est, quin difficile fiat, quod invitus facias. *Denique in Apologet. advers. Rufin.* Olim pueri legimus: Intemperantis esse arbitror scribere quidquam quod occultari velis. *Quid facias Barthio qui negat liberalibus disciplinis eruditum Phaedrum, quia servus? An Terentium est oblitus, et P. Syrum? An libertos Ciceronis, et Attici? Utique in titulo catastae mangones proponebant quam quisque venalitius praestaret in literis facultatem. Suet.* III. Gramm. I. 4., *Horat.* II. serm. 2. *Conquirebat pueros Augustus* facie et GARRVLITATE AMABILES (*Phaedros dixeris, si nominis vim attendas*), *eosque fabulis narrandis adhibebat, ut somnum resumeret, quum vigiliae morbo laboraret. Sueton.* Aug. c. 78. 83. *Atque inter tales Augusti ephebos receptum Phaedrum, magistro Latino usum oportuit. Testatur, III. prol.* 20. In ipsâ natus sum paene scholâ. *Ne de monte Pierio cogites, addit* paene. Scholam *intelligit* palatinam.

Scimus Augustum in palatium transtulisse cum totâ scholâ Verrium Flaccum, ut Lucium et Caium Caesares institueret. Suet. Ill. Gramm. c. 17. *Id evenit, ut demonstrare possem, anno ante Chr. natum xI. Puto igitur Phaedrum ab anno aetatis sexto, sive ante Chr. XI. fuisse in condiscipulatu Caesarum, et Verrium audivisse. Et scripta poetae nostri satis indicant Verrii auditorem. Tria Verrii praecepta apud Charisium supersunt. I. Scribendum* lacte *in recto casu. Phaedrus III.* 15. *v.* 8. LACTE ne desit mihi. *Paraphrasis antiqua in libro Sebast. Brantii*: ut mihi lac non desit; *quarè lectio illâ recte se habet. II. Adiicit Verrius, scribendum* camàra, *non vero* camera. *Phaedrus IV.* 24. Ruina CAMARAE. *III. Denique docuit Verrius nomina, quae casu recto in NS terminantur, casu ablativo esse in E dirigenda, nequaquam, ut plerique faciunt, in I. Phaedrus I.* 5. Cum POTENTE societas. *Sunt qui volunt, invitis libris, heic legere*, potenti; *sed recte a Burmanno reprehenduntur* in comm. novo, *confugiente ad iudicium aurium; Circa ea tempora; quibus Phaedrus audiebat Verrium, pueris praelegebantur Naevius, Pacuvius, Accius, Afranius, Caecilius, Terentius,* (*vide Horat.* II. epist. I. v. 60) *atque Ennius praesertim, qui idcirco* pater *dictus est Horatio, et Propertio, ut Graecis Homerus. Et sane Verrius praemium victoribus discipulis librum aliquem* antiquum *offerre consue-*

vit, *Suet.* de Ill. Gramm. c. 16. *Non tamen ita antiquos admirabatur, ut archaismis foedari sermonem pateretur. Stilus Verrii ab Augusto in exemplum iuveni Tiberio propositus fuit. Verba optimi principis*: (*Suet.* Aug. c. 86.) Tuque dubitas Cimberne Annius, an Verrius Flaccus imitandi sint tibi ? *Hinc ergo in Phaedro contemplari saepe mihi evenit archaismis infensum scriptorem, sed nihilominus felicissimum imitatorem veterum Accii, Pacuvii, Lucilii, Plauti, Terentii, immo et Catulli; sed praesertim Ennii, quem se puerum in scholâ trivisse commemorat*. IV. 25. v. 33. 34. *Mortuus est Virgilius anno aetat.* LII. *quum Phaedrus annum* XXII. *contingeret, ut Maronem in palatio versantem coram adloqui et probe notum habere potuerit. Serius tandem Caecilius Epirota Virgilium et novitios auctores veteribus in ludo substituit. Suet.* Gramm. c. 16. *Nec tamen Virgilii carmina Phaedrus neglexit: ea namque ipse citat* Prol. lib. III. v. 27. , *immo, ut videbimus, etiam Graece vertit. Non male quis diceret, Virgilio amicum fuisse adolescentulum, qui tanto illum honore post fata adfecit. Videant literatores quem de Thracismo insimulent, Verrii Flacci a teneris unguiculis discipulum, Virgilii clientem atque admiratorem, qui Augusto ita convixit, carusque fuit prae ceteris ephebis fabulatoribus, ut eius manu testamentum ex parte conscribi iusserit. Hoc postremum in liquido erit, ubi evicerimus Polybium Aug.*

lib. ipsum esse Phaedrum . Iam nomen Phaedri quid aliud significat, nisi urbanum , iocosum, fabulatorem ? Talis Phaedrus . Hinc Martialis ad amicum Canium III. 20. Aut aemularis improbi iocos Phaedri. *IOCI sunt* fabulae *ipsi Phaedro I. prol. v. ult. IV. prol. v.* 11. *II. prol. v.* 5. *IV. fab.* 6. *v.* 2., *Avieno in* praef. , *et aliis.* Improbus *vero est dicax , urbanus , facetus . De se ipse Lucilius lib. XXVII.* Amicos hodie cum *IMPROBO* illo Lucilio audivimus advocasse . *Adde Phaedr. III. f.* 11., *IV.* 7. , *Iuvenal. IV.* 106. *Et Canius plane , qui Phaedrum aemulabatur , a Martiale* fabulans *alibi repraesentatur . III.* 63. *Satyricum scripsit Petronianum (ni fallor), in eoque Canius aemulatur apertissime Phaedri fabulam* De Muliere et Milite , *quam ex codice Perottino vulgavi. Quis Phaedro* improbior, *qui in operis vestibulo* risum se movere *velle significat ? non quidem ineptum , quo nihil ineptius, sed urbana sanna expressum, quod genus ridiculi in Horatio paginam utramque facit . Liceat mihi ex Graecia in Latium verbum proprium derivare ;* sillenizabat *Phaedrus . Seneca epist. LII.* Improbum risus demonstrat. *Neque ullum esse Apologum , quo potentiores temporis sui sale nigro non perfricet , opere in alio demonstravimus sub titulo* Phaedri Historici . *Quare , Seiano demum instante , in Campaniam , ut mos fuit , relegatus , Claudio se adplicuit , et Agrippinae Germanici. Villa Claudii Pompeiis erat ; (Sueton. Claud. c.* 27.),

Herculaneo Agrippinae (*Seneca de Irâ III.* 22.) *Tunc vero Claudius conversatione* scurrarum *oblectabat otium* (*Tacit. Annal. XII.* 49.,) *et quidem in suo illo* Campaniae secessu (*Suet. Claud. c.* 5.) . *Hos inter* scurras *urbano sale notos poeta delituit . Neque iniurius fuero*, si scurram *et ipsum vocavero . Vide Turneb . Advers. XIX.* 13. *Et adludit libri IV. fab.* 21. *Sed illuc redeo* . Phaedri *nomen proprium non istud erat fabulatorem hilarem atque iocosum describens , sed* POLYBIVS , *ut patri etiam inditum fuit , fortasse petitum a Polybiis sive Macrobiis populis , qui Pieriam ipsorum patriam adcolebant* . (*Plin. H. N. IV.* 10.) *Atque ut alter ab altero Polybio distingueretur , patri philologo* POLYBII LIBERALIS , *poetae filio* POLYBII PHAEDRI *nomen cessit . Potuerunt Phaedri agnomentum contubernales imponere . Grut. p.* 112. n. 4. BENEDICTO . HOC . NOMEN . IMPOSVERVNT . SODALES. *Ita et Damasippus a mercatoribus* Mercurialis *dicebatur. Horat.* II. serm. 3. v. 25. *Sed magis puto , ipsum Augustum , dilectum sibi libertum Phaedri agnomine honestasse . Saltem hoc mihi concedes , dominos ita factitasse in familiâ , si servi , aut liberti essent cognomines ; ac dixisse ex. gr. Stichus* primus , et secundus (*Turneb. adv. XIII.* 3.) , maior , et minor , [*Grut. p.* 931. *n.* 11. *et* 967. 9.] senior et iunior (*Mazoch. Heracl. p.* 407. *adde Grut. p.* 964. 8. 973. 5.) , Stichus, Sti-

chus alter. (*Grande orig. de' Cognomi p.* 190.) . *Sed agnominis additio frequentior . Vide Morcell. de Stilo inscript. p.* 108. *Sic in* l. 14. D. de fideic. lib. Erotem servum meum, qui et Psyllus vocatur. *Grut. p.* 1132. *n.* 13. *C.* Iulius Nereus qui vocatur Petitius . *p.* 250. C. Iulius Ephesius C. L., qui et Mascutius. *p.* 89. Ti. Claudius, qui Macedo phonascus . *Fabret. cap.* 3. *p.* 148. L. Fabius Ianuarius, qui et Derisor . *Ita etiam* Latinus *cognominabatur* Derisor, *Martial. lib.* 1. *ep.* 5. *Pariter Grut. p.* 660. *n.* 1. Xantippes, sive Iaiae, *et p.* 940. *n.* 9. Gallonise C. F. Maritimae, quae Epicharis. *Lapis denique Neapolitanus p.* 950. *n.* 5.

C. PESCENNIVS

M. F. QVI . CILO . V (scil. Vivit.)

AVRELIA . C. L. OLYMPIAS

Ergo et mihi liceat dixisse C. IVLIVS POLYBIVS QVI PHAEDER . *Auctor locupletissimus Seneca talia me docuit in mutilo libello* de Consolatione *ad nostrum* (*hunc ipsum, ni fallor*) Polybium *scripto, dum in Corsica insula exsularet circa ann. Chr.* XLIII. *Ac Senecam exsulem ficto Noster* particulonis *nomine resalutat , ne Claudium principem offenderet, lib. V. f.* 5. *v.* 43.

Particulo, nomen chartis victurum meis,

Latinis dum manebit pretium literis.

Scripserat enim de ipso Seneca cap. 21. Longissimum illi aevum ingenii fama promisit. Quamdiu fuerit VLLVS LA-

TERIS HONOR, quamdiu steterit aut LATINAE linguae potentia, aut Graecae gratia, vigebit. *Atque ut hic* longissimum aevum, *ita* cap. 37. *INGENII MEMORIAM spondebat amico philosophus*. *Ad quem poeta* V. prol. Dignumque longâ iudicatis memoriâ. *Particulo* coheredem *significat*. *Hinc se mutuo* particulones *adpellabant*, *quia forent eiusdem philosophicae familiae consortes*. *Secta enim philosophica proprie* hereditas *et* familia *vocabatur*. *Vide Virgilium* Ciri v. 15., *Martial*. IX. 48.; *Boeth*. Consol. I. 3. *Amici etiam fuere*, *quod Agrippinam Germanici*, *eorumque liberos uterque colerent*.

Ac mores Polybii ita describit Seneca, *ut solum in eo Phaedrum*, *praeterea neminem*, *graphice depictum tibi cernere videaris*. *De se Phaedrus*; III. Prol. In ipsâ natus sum paene scholâ. *Seneca de Polybio*. c. 21. Liberalibus disciplinis non innutritus tantum, sed innatus. *Se numquam pecuniae obnoxium ille profitetur*, III. prol. v. 21., IV. 11., V. 5. *Idem testatur Seneca*, c. 21. *Animo infracto Polybius fuit*, *ut ibidem Seneca monet*. *Vide auctoris animos* III. 9. *Hinc etiam*, III. 27.

> *Sed iam*, QVODCVMQVE FVERIT, *ut dixit Sinon*,
> *Ad regem quum Dardaniae deductus foret*,
> *Librum exarabo tertium Aesopi stilo*.

Haerent interpretes. *Virgilianus Sinon dixit*, Aen. II. 77.

> *Cuncta equidem tibi rex*, FVERIT QVODCVMQVE,
> *fatebor*.

Vulgo nunc edunt: fuerint quaecumque. *Sed priorem lectionem verissimam Phaedrus confirmat, cum eoque Servius et Donatus. Iam Phaedrus per illa*, QVODCVMQVE FVERIT, *mortem se contemnere innuit, quam sibi instare a proscissis potentioribus praesenserat; ideoque digito adsignavit Sinonem Virgilii, cuius illa sunt*: fuerit quodcumque; *h. e. etiam si* mortem *oppetere debeam; ut recte Servius locum enarrat. Nemo illa nescit*: quidquid acciderit: si quid acciderit, *etc.*, *scil. si* mori *contigerit. Praeterea, de amissis amicis Phaedrus queritur III. 9., et grutulatur de aliis subrogatis in* prologo lib. *V. Seneca c.* 21. *Polybium consolatur, qui tam esset amabilis, ut facile in amissorum locum substituere amicos alios posset. Calamitates suas Phaedrus passim deflet. Initio Claudiani imperii, dum Seneca scribebat, Polybius e malis emerserat Caesaris favori nixus, ut innuit c.* 21 et 25. *Immo* cap. 22., *postquam dixit indulgentiam fortunae in Polybium pervenisse, addit ad fortunam*. Tam cito indulgentiae tuae te poenituit? *Durato igitur corde fatale exitium tulerat Polybius sub Tiberio et Caligulá, donec sub Claudio fortunam puduit criminis. vide* lib. II. epil. v. 18. *Quae omnia Phaedro conveniunt, cuius querelae de fortuná nullae sunt libro V. in supremis annis suis edito, nempe sub Claudio; sed ubique animus elucet sorte conten-*

tus , famâque meritis quaesitâ superbiens . Celebratur c. 22. *et* 25. *Polybii* innocentia , frugalitas , abstinentia , literarum amor sincerus , ab omni labe mens vacans . *Noster se conscium fatetur sincerae integritatis , IV.* 25. *Incubuisse etiam se dicit in vitam literariam* laude invitâ *III. Prol.* 22. (*Heic legendum praestaret* laude multâ ; *sed habes in praef. lib. VIII. Martialis* , famam invitam , *ut emendo , ubi nunc „* famam iam vitam , *nullo sensu* .) *Eloquentiae praeclarâ operâ edidit Polybius, teste Senecâ*, cap. 21. 25. 26. *Studia porro fuerunt hilaria, sed moribus emendandis et confirmando in malis animo adcommoda . Audi Senecam* c. 36. Ea instituisti amare studia , quae . . . facillime minuunt calamitatem : eademque et ornamenta hominum maxima sunt et solatia . *cap.* 27. Hilariora studia . . solutiora . . remissâ fronte commentanda . *cap.* 37. Nunc itaque te studiis tuis immerge altius ; nunc illa tibi velut munimenta animi circumda , ne ex ullâ tui parte inveniat introitum dolor . *Nonne et Phaedrus delegisse se fabularum scriptionem profitetur in prologis libri I. et II. , ut vitam praeceptis utilibus informaret ? Addit se studiis vacasse , quae lusum animo darent* (IV. Prol. III. 14.) , *atque ut dolorem his veluti remediis deleniret* . (III. Prol.) *Quumque Seneca cap.* 25. *se cum amicis laudasse Polybii opera et* DESCRIPSISSE *glorietur , Phaedrus respondet V. prol.*

Mihi parta laus est, quod tu, quod similes tui
Vestras in chartas verba transfertis mea,
Dignumque longâ iudicatis memoriâ.

Solebant enim amici lucubrationes auctorum poscere, et propriâ sibi manu exscribere. Cic. Attic. IV. 13. XIII. 21. Iuven. III. 41. Martial. II. 6. Imitabantur quoque, ut patet ex Senecae Suas. 3., *et II.* Controv. 10. *vid. Farnaby ad Martial. VI. 23. Seneca vero passim Phaedrum imitatur. Sufficiet philosophi* cap. XV. de Tranquill., *et poetae III. 15. inter se committere. Ne ovum quidem ovo similius. Sed quaenam tandem illa fuerunt opera Polybii? Hunc ait Seneca c. 21.* ingeniis maximis se contulisse, *vel si hanc laudem verecundiâ recusaret, saltem se* adplicuisse. *Et quidem Phaedrus* adplicuisse *se Aesopo, tamquam clientulum patrono, eiusque in vestigiis pedem aliquando fixisse significat. Hoc enim est* adplicare, *ut ex ipso Senecâ liquet* epist. 21. *et aliis ap. Turneb.* Adv. XXIV. 32. *Huc facit operis initium:*

Aesopus auctor quam materiam reperit
Hanc ego polivi.

Quem locum nemo ex interpretibus recte enarravit. Polire materiam *est* exasciare lignum, *ut in XVviralibus:* Rogum asciâ ne polito. *Eâdem metaphorâ IV.* 25. Materiae tanta abundat copia Labori faber ut desit. *Versus ergo illos priores operis sui ipse enarrat auctor, IV.* 20. *v.* 8. Invenit ille [*Aesopus*], nostra perfecit manus. *Obscure*

quidem III. prol. v. 38. *gloriatur se aliqua invenisse*, Ego illius pro semitâ feci viam. [*Ita ex M. S. legimus*]. *Sed titillatus ellogio Senecae, qui Polybium se ingeniis* contulisse *maximorum virorum, h. e.* aemulatum *illa ingenia, praedicaverat, in prologo libri V. larvam detrahit, se inventorem iactat, quumque obstaret titulus* Fabularum Aesopiarum *libro inscriptus, suadere vult hunc imposuisse, ut declararet inventionem et stilum Aesopi non esse, at solum scribendi genus. Immo addit, ne Aesopum quidem se nominaturum fuisse, nisi fucus esset invido saeculo faciendus, vetera solum laudanti. Verba accipe a nobis ex ingenio et MSS. restituta.*

Quare, particulo, quoniam caperis fabulis,
[Quas Aesopeas non Aesopi nomino,
Quia paucas ostendit is, ego plures dissero
Vsus vetusto genere, sed rebus novis]
Quartum libellum, dùm vacàris, perlege . . . . .
Aesopi nomen sic ubi interposuero,
Cui reddidi iam pridem quidquid debui,
Auctoritatis esse scito gratiâ;
Vt quidam artifices nostro faciunt saeculo,
Qui pretium operibus maius inveniunt novis,
Si marmori adscripserunt Praxitelem suo,
Detrito Myronem aeri, tabulae Zeuxidem.
Adeo fucatae plus vetustati favet
Invidia mordax quam bonis praesentibus.

Memorat Seneca cap. 26. *et* 30. *a Polybio Virgilium Graece fuisse expositum, Latine Homerum, ubi* ingens intonuit, *scil. in Iliade. Ac versio quidem Virgilii interiit. Habemus Iliada Latinam, ut inepte inscribunt, Pindari, sed incerto adhuc auctore, quam Aeneidi praetulit Laurentius Valla* [*Pontan.* de serm. I. 18.], *ego proximam iudico. Erat olim, ut hodie discuperem, in puerorum manibus. Vide cl. Io. Lud. Blanconium*, Notit. Pisan. ep. 2. p. 29. *Temporibus Tiberii, aut Caligulae vixit auctor. Scribit enim de Aened*, v. 904.

Quem nisi servasset magnarum rector aquarum,
Vt profugus latiis Troiam repararet in arvis,
Augustumque genus claris submitteret astris,
Non clarae gentis nobis MANSISSET origo.

Ergo si originem Aeneadum, seu stirpem Iuliam suis temporibus mansisse *narrat auctor, utique sub Caligulâ saltem scripsit; quia stirps Iulia ad Claudium non porrigitur. Vide Ryck. ad Tacit.* Ann. XI. 1. *Poematis huiusce mentionem antiquiorem nullum reperio, nisi apud Lactantium Placidum Statii scholiastem ad* Thebaid. VI. 120. *qui aevo Theodosiano floruit. In poemate deprehendes iudicium Senecae rectissimum fuisse. Structura Iliadis recessit, quia contrahitur ac digeritur per opusculum perpetuo nexu indivisum tota Vatis maximi rhapsodia. Elegantia, et brevitas, quae duplex Phaedri dos est, mirifice in libro elucent. Immo loquutionibus Phaedro*

peculiaribus abundat, ut nullus paene versus absque illis decurrat.

Nec tamen Pyrrhones nostri dant manus. Atqui mox dabunt, si sano gaudent sincipite. En tibi Senecae verba c. 27. FABELLAS QVOQVE, ET AESOPEOS LOGOS, INTENTATVM ROMANIS INGENIIS OPVS, SOLITA TIBI VENVSTATE CONNECTAS. *Scripsit ergo Polybius I.* FABELLAS *scil. apologos quosdam suo marte reperit, II.* AESOPEOS LOGOS, *h. e. fabulas alias quasdam Aesopi latine vertit. His Graece conscriptis Demetrius, testibus Diogene Laertio, Hesychio, et Suidâ,* LOGORVM AESOPEORVM *titulum indidit. Avien.* in praef. „ Fabulae sub iocorum communium specie. *Melius legeres* logorum. (*Nec tamen ignoro* iocos *recte dici, unde sequitur: Aesopus* ridicula orsus est, ut legenda firmaret; *ubi restituo* legentes formaret.) *III.* INTENTATVM ROMANIS OPVS. *Haec patent. Primus effecit Phaedrus, immo solus, quae Romana ingenia ad eius aetatem usque ne cogitaverant quidem. Vide*, II. epilog. v. 5. *IIII.* VENVSTATE *in scribendo singulari est usus. Dictio Phaedri pura est, simplex, gracilis, ac suavissima. V. denique fabellas non pedestri stilo narravit, sed* CONNEXVIT, *orationem scil.* ligatam *usurpavit*. Verbis intexere *dixit Livius VII.* 2. carmine orationem nectere [*ut legendum arbitror*] *Auson.* Prof. ep. 5., *et ad rem magis Horatius II. ep.* 2. *v.* 86. verba connectere.

Iam si Polybius ac Phaedrus unus est homo, Fabulae illae, atque Ilias Polybio auctore a Senecâ laudatae supersunt. Historiam quoque lucubravit, eodem teste philosopho, cap. 26. *Puto acta Claudii. Suetonius* (Claud. c. 41.) *opus ab elegantiâ commendat, licet* ineptias *ab inchoato illo homine fortasse inspersas damnet. Atque ut Romanam historiam* adiuvante Sulpicio Flavo *conscripsit* (*Suet.* ibid.), *ita et Polybio sive Phaedro adiutore in rebus gestis componendis usus est. Namque ita ad ipsum Seneca*: Caesaris tui opera, ut per omnia saecula domestico narrentur praeconio, quantum potes, compone; nam ipse tibi optime formandi condendique res gestas, et materiam dabit et exemplum.

Claudius supra libertos alios, SVSPEXIT POLYBIVM A STVDIIS, qui saepe inter duos Consules ambulabat. *Suet. Claud.* c. 28. *In lapide* Grut. p. 584. n. 3. *memoratur et* Lemnus *fatuo principi* a studiis. *Sed Polybius fortasse* MAGISTER A STVDIIS *fuit, quo de officio loquitur marmor ineditum exstans ad ostium cellae penuariae in Episcopio Caleno*.

L. VIBIO . FORTVNATO
HARVSPICI . AVG. N. MAGISTRO
A. STVDIIS . PROC. DVCENARIO
STATIONIS . HEREDITATIVM

In Thesauro Murator. tom. 2. p. 929. *et ap. Tiraboschium*, Hist. Lit. Ital. Part. III. lib. 3. c. 8. §. 15.

e

inscriptio alium exhibet L. Vibium scribam librarium et a Bibliothecâ Latinâ Apollinis. *Quomodo servus tribus gaudere nominibus potuit* : L. Vibius Aug. servus Pamphilus? *Sed libertus fuerit . Cuiusnam ex imperatoribus ? Vibii Treboniani Galli, aut Vibii Volusiani eius filii, aliquis opinabitur . Atqui in eodem marmore uxor Pamphili dicitur* VIBIA SVCCESSA LIVIAE AVGVSTAE SERVA .

Ego puto libertinos inter servitia Augustae domus receptos servile nomen haud fuisse dedignatos, quo tamen ministerium , *non plane* conditionem *significarent : Ita in Gudii inscript. p.* 204. *n.* 6. *Diotima Plotinae Augustae* liberta , *dicitur a* cubiculo Serva *: et Metrodora pariter* liberta , *adpellatur Iuliae Domnae* Serva a cubiculo . *Idem dicitur de Diotimâ* p. 240. n. 5. *de Ioside* p. 189. n. 1. *de Tagalmâ* p. 199. *n.* 11. *de Alope* p. 200. n. 5. *de Ismeniâ* p. 199. n. 1. *de Isandrâ ibid.* n. 14 *de Celadiano* p. 202. n. 12. *etc Sed Perotti editor in Vitâ Phaedri, ubi quot verba tot errorum prodigia , scribit , Romanos ingenuos et vetere natos genere in servitutem clarorum virorum se ultro mancipasse ; immo hoc omnibus* notum *adseverat* , (*pag.* 40.) *quod nemo vel somniaret . Quid quod Pallantem Claudii lib. inter illos numerat ? Sanun' est ? Iam illuc redeo .*

Polybium palatino functum officio Seneca insinuat , cap. 25. *et quidem per gyrum , sive ordinem ,*

audiebat ille supplices, excipiebat disponebatque eorum libellos, cap. 26. *Fuit ergo* CVBICVLARIVS *, qualis deinde* A LIBELLIS *nuncupari coepit. Hinc Epaphroditus Domitiano* A LIBELLIS (*Sueton. Domit. c.* 14. *et Neron. c.* 49.) *ex Tacito* Ann. *XV.* 55, CVBICVLARIVS *apparet. Ac per* Cubicularium *auditos fuisse supplices, et susceptos libellos docet Cicero ad Attic. VI.* 2. *Vide etiam Act. Apost. XII.* 12. *Ergo ad Polybium, sive Phaedrum nostrum pertinet epitaphium Grut.* p. MCXL. *n.* 2.

DIS MANIBVS
POLYBI
CVBVCVLARI

Brevitas, et sphalma lineae tertiae pavidam festinationem amicorum ostendunt. Occisus enim fuit Polybius anno Chr. XLVIII. *Messalinae machinationibus.* (*Dio lib.* LX. *p.* 684. *Seneca*, Apocolocynth.) *Narrat Tacitus*, Ann. XI. 28. 29., *libertos praecipuos Claudii,* secretis *primum* minis *Augustam terruisse, ut a Silio divellerent. Addit Dio, libertos, occiso Polybio, vidisse, nihil iam sibi sperandum, ideoque Silium et Messalinam interimi curasse,* ne et ipsi ad perniciem traherentur , *ut opportune Tacitus supplet. Ergo Polybius Claudio patrono fidissimus, adulteria Messalinae primus omnium in domo reprehendens ac removens, idcirco obtruncatus est. Pulcrum Phaedri Apologum soluto sermone ex an-*

liquo libro exhibet Nilantius . (*Anon. Leidens.* Fab. vil.) *En illum a nobis restitutum, et connexum* .

DE COCLHEA ET SIMIA.

In cathedrâ positum Speculum Cochlea reperit,
Quod, dum videt fulgere, adamavit, et statim
Super orbem adscendens, coepit eum delingere.
Nil vero visa est contulisse illi, nisi
Vt splendorem salivis atque sordibus
Pollueret. Inquinatum invenit Simia,
Et ait: Merentur sustinere tal.a
Qui conculcari se permittunt talibus.
Sic se mulieres stultis coniungunt viris.

Heic video in Speculo *Messalinam : quo nempe significabant veteres mulierem adulterio infamem. Artemidor.* Oneirocrit. *V.* 67. *Vide plura apud eruditissimum Equitem Mich. Arditum*, De Vasculo Locrense p. 42. et seqq. *Porro* Cochlea *est Claudius, cuius memorat Suetonius* (*Claud. c.* 30.) rictum spumantem, *et Iuvenalis* (VI. 623) longam manantia labra salivam. *In Museo Stoschii duae gemmae fuerunt a Winckelmanno descriptae, et perperam explicatae*, class. IV. sect. I. n. 237. *In primâ cernitur Mulier insidens Cochleae mentulis circumdata. In gemmâ aliâ Mulier abest, solaque cernitur Cochlea circumpositis mentulis cum epigraphe*, INVICTA CLAVDI. *Mulier scil. Messalina est, Claudius Cochlea, ad quem priaporum chorus inclamat :* CLAVDI narramus

tibi; *INVICTA* est uxor tua. *Audi Plinium, H. N.* X. 63. Messalina Claudii Caesaris coniux regalem existimans PALMAM (*in coitu*), elegit in id CERTAMEN nobilissimam e prostitutis ancillam mercenariae stipis, eamque nocte ac die SVPERAVIT quinto et vicesimo concubitu. *Nescio an gemmae Stoschianae Polybio nostro usui fuerint; sed paene crediderim.*

De monumento Solvense, atque epitaphio Polybii diximus. Nunc de statuâ Apulense, numis, et domo, quaedam indicabo non vulgaria. Stephanus Zamosius (Analect. Daciae Antiq. cap. VIII.) *refert ad Albam Iuliam, quae olim APVLVM, marmor exstare cum geminâ imagine, adiecto lemmate: NISI VTILE EST QVOD FACIMVS STVLTA EST GLORIA. Phaedri sententia, III. 17., Phaedrum ibi repraesentari satis evincit; ut, si sub statuâ videres, SVSTINE ET ABSTINE, Epictetum intelligeres, etc. Vide Cic.* Tusc. V. 23. *Viri unam esse effigiem, alteram feminae scribit Christius*, De morib. ver. exposit. p. 38. *Feminam credo matrem poetae Velleciam, ut in statuis Solvensibus. Nec monumentum sepulcrale est, unde ibi defunctos populares expressos coniicias, quod fecit Gudius; immo nec sententia convenit sepulcro. Omnino illo versiculo, VTILITAS FABVLARVM, et legitima GLORIA auctoris designatur, cuius verba sunt de scriptis suis;*

Quantam sub illis VTILITATEM reperies? . . .
Ergo mihi solemnis debetur GLORIA.

Sed cur haec statua ad Albam Iuliam posita? Phaedrum amatum puto hac in urbe, cuius etiam codex M. S. ibidem repertus Weissenburgense (*Gud. ad* l. 13.) *nunc audit*. *Sed et in bello, quo captus est Phaedrus*, APVLVM *fuit belli caput* (*Vide Pedonem Albinov*. ad Liviam v. 384.) , *atque ibi regia Cotysonis*. *Solebant denique amici statuas excitare amicis*. *Sic basis ap. De Vita*, Antiq. Benev. tom. 1. p 148. *L.* RAGONIO . . *M.* ACCIVS . . AMICO . *In eodem sane loco, ubi statua Poetae reperta est, binae etiam statuarum bases repertae sunt, quas dominis excitavit* FILETVS (*sic*) . *Gruter*. p. 345. n. 3. p. 346. n. 2. *Atqui* Filetus *iste amicus erat Phaedri, ad quem illa*, *V*. 10. Hoc cur , PILETE , scripserim pulcre vides . *In M. SS. erat*: Hoc cur fili te scripserim. *Sed bene se habet* FILETE , *latino more pro* Philete , *ut in marmoribus*.

Denique et numos videntur in Phaedri honorem percussisse Pierii. *Ioannes Sambucus*, Num. Vet. p. 309. edit. Plantin. 1569 , *primus edidit numisma rarissimum et pulcherrimum*. *Cap. laureat. Antonini philosophi*, M. AYPHAIOC. ANTONINOC. CEB.) (*Homo sedens*, *et lyrâ canens*. *Circumstant animalia, inter quae Vulpes bibit sorbitionem in paterâ adstante Ciconia, quod argumentum est libri I. fab.* 26. *In areâ posticâ legitur litera delta*. *An* Datum *indicat h. e. Philippos ad Pieriam Phaedri patriam? Simile aliud numisma habes in* museo Pembrockiano Part. III. tab. 96. , *cuius epigraphe re-*

fertur ad Antoninum Pium . ΑΥΤΟΚΡΑτωρ ΚΑΙCαρ ΑΔΡιανος ΑΝΤΩΝΙΝΟC CΕβαςος. *Deest in areá* Δ, *deest adlusio ad Fabulam ; sed ne de Orpheo cogites, Lyristes cernitur laureatus . Similius Sambuciano videtur numisma prolatum ab Andreá Morellio* , Specim. rei num. pag. 20. tab. 1. Paris. 1683. ; *nisi quod melius habet* ΑΝΤΩΝΙΝΟC, *ut significavit rl. Eques Franciscus Avellinius , adolescens summae non dicam spei, sed iam gloriae , atque eruditionis. Fabulatorem nostrum repraesentari autumo , indirio laureae coronae , et ligurientis patinam Vulpeculae roram esuriente Cironiá . In porticu etiam Neapolitaná pirtum Aesopum testatur Philostratus eàdem omnino coroná animalium stipatum , ut lyristes ille in numis* .

De domo Phaedri nuper Pompeiis detectá disseremus in Chrònol. ad annum XXX.

Cerebrosus porrò Biographus, quem praedixi , longis ambagibus eo tandem pervenit, ut statuat, p. 13. , *Phaedrum , ubi se* Thraca *fatetur , non nisi antiquam gentis Macedonicae originem spectasse ; re verá Graerum Macedonem fuisse . Exemplum addit : nos sril. Gothos esse , et dici posse , licet Itali simus , quia ex Gothis ortum ducimus . Deinda rontendit magná stropharum turbelá , Tiberio imperante universas Auctorem scripsisse fabulas , annos quinquaginta numerasse aetatis quum Augustus obiit, septuaginta sub Tiberio , et cetera huiusq*

modi . *Sed illa omnino est observatio egregia* , *ac pueris offerenda scilicet*, *quibus potissimum se scribere profitetur tenebrio* p. V. praef., *Bathyllum fuisse cinaedum Maecenatis*, *licet annos XXX. natum*, *quia Encolpius* iam maturus iuvenis et vir, *Petroniano Eumolpo* etiam puer *videri potuerit*. *Haec non erubuit scripsisse p.* 27. *Restat tamen ut excutiat an Bathyllus fuerit gracilis*, *quia vasti corporis homines parum facti ad mollitiem sunt*, *at qui sicco sunt corpore*, *dubio procul* , *cinaedorum famam trahunt*, *sicuti ipse docet in* Secundo Centone ad Phaedrum p. 53. *Hiccine audet spectatissimos* III. Viros *Andresium*, *Carellium*, *Danielem sibi adiutores ac fautores in scribendo iactasse? Quibus tanto mendacio*, *insignem profecto intulit iniuriam; neque enim literis moribusque homines praeclari patienter audiisse* , *nedum dictasse impudicitias huiusmodi perridiculas*, *totque alias nugas censendi sunt*: *quas ego omnes exagitandas mihi proposui*, *ut ioculari libro severa sapientum studia exhilarentur* , *meque ipse ac posteros oblectem* . *Nam quod detraxit nomini meo* , *lubenter ignosco* . *Liceat Clazomeniis* .

CHRONOLOGIA FABVLARVM PHAEDRI

Restat ut paullo accuratius de Fabulis loquar, et ipsarum chronotaxin adornem, unde Auctoris vita non mediocriter illustrabitur. Iam praedixi improbum *fuisse* Phaedrum *in fabulis suis, iudicio Martialis, nempe* dicacem. *Neque aliud plane egit per apologos, nisi ut principes, aliosque potentiores, adscito mythicae sapientiae velamento, proscinderet. Quod liquet ex* II. prol. v. 11., epil. v. 12., III. prol. v. 3. et 45., fab. 9. v. 3., IIII. f. 1. v. 3. et 6., fab. 7., epil. v. 33. V. prol. v. 5. fab. 10. *Atque haec proprie est* VIS CARMINIS, *quam scriptor sentiri cupit*, III. prol. v. 3. *Rem confirmat eius indoles. Gloriae fuit mirifice adpetens*, III. prol. v. 17. seqq. f. 1. f. 9. f. 12., IIII. f. 10. v. 14. epil. v. 34. V. prol. v. 17. 20. f. 10., *moribusque sanctissimis*, III. prol. v. 21., V. 4., *sectá Stoicus*, IIII. 17. V. 6., *tandem ex coetu poetarum, quorum* genus irritabile. *Vitia ergo, et insolentias procerum tolerare vix poterot. Quid quod ortus in Thraciâ, ubi* ferae *gentes*, ad mortem paratissimae (*Mela II.* 2.) *nimioque libertatis amore furentes ? Tacit.* Ann. IIII. 46. . *Quem plane amorem poeta ostendit*, I. 2. et 5., V. 1. etc. *Quum ergo a viris potentibus premeretur*, fab. I. prol. v. 35., IIII. epil. v. 29., *neque iniurias aperte*

ulcisci posset, IV. 25, adfectus proprios in fabellas translulit, III. prol. *Age iam, quaeramus, quae potissimum acta sui temporis poeta respexit*.

ANNO AERAE CHR. II.

Quum anno XVI. expleto pueri manum ferulae subducerent, anno post Christum Natum altero Phaedrus noster e palatina Verrii Flacci schola exiit, interque Augusti fabulatores ephebos relatus est: Ac primam fabulam, quae est 14. libri I. *lusit in P. Alfenum Varum Consulem. Is fuerat sutor, deinde ICtus. Horat.* I. serm. 3. *Frustra Otto et Waechtlerus alium Alfenum sutorem confingunt. Horatius l. cit.* VAFRUM *dixit Alfenum, proprio ICtis epitheto, sicuti videre est II.* serm. 2. v. 131. *Adde Ovid.* Heroid. *XX. v.* 30. *Phaedrum ICtis iniquiorem videbimus sub anno* XXXVIII.

ANNO CHR. XIII.

Hoc saltem anno ab Augusto manumissus est: Polybius enim libertus *audit Suetonio* (Aug. cap. 101) *anno uno et quatuor mensibus ante Augusti excessum, quum eius liberti manu scriptos ex parte codicillos patronus voluit. Itaque codicilli anno* XIII., *mense Aprili exarati sunt a Polybio, et quidem iam libertate donato*.

ANNO CHR. XIV.

Augusto mense obiit Augustus ad Nolam. Post paullo Livia Agrippam Augusti ex Iuliâ nepotem interfici curavit, ut privigno Tiberio firmaret imperium, nec deinde cessavit, nisi ubi stirpem Augusti radicitus evulsam ac perditam vidit. Phaedrus domum Germanici colebat, ubi dominicae illius stirpis infelices reliquiae supererant. Hinc odium poetae in Tiberium, Liviam, Seianum; hinc fabellae mordaces; hinc denique tractu temporis, illius exitium. Eo ventitabat etiam Seneca, deinde ut adulter Livillae in exilium pulsus. Quare inter se philosophi ambo amicitiae vinculo iuncti sunt.

ANNO CHR. XV.

Phaedrus I. 19. retractatâ fabulâ Liguris (ap. Iustinum XLIII. 4.) *Liviam, sub gravidae canis typo notavit, quae hospitis familiam eiecit, ubi grandes sibi adesse vidit catulos. Livia gravida in domum Augusti deducta, eius liberos perdidit, ac Tiberio imperium adseruit. Taxavit etiam IV. 12. Tiberii saevitiam, qui dominationis initio mitissimus adparuerat (Suet.* Tib. c. 26.) *sed simium (garrulum quemdam) liberius loquutum morte adfecerat.* Ibid. c. 57.

ANNO CHR. XVIII.

Caesarem Germanicum poetam egregium ceteri poetae collaudabant. *Ovid.* Fast. *I.* 13. ex Ponto IV. 8. v. 67. *Supersunt eius Arataea, et quaedam epigrammata. Hoc anno Athenas et Graeciam reliquam visebat, exceptus maxime civitatum laetitia et amore. Tiberius invidia tactus Pisonem ac Plancinam submisit, qui Germanicum perderent. Phaedrus III.* 18. *pavonem inducit (formam* Tiberii *respiciens), qui luscinio (scil. poetae: vid. Hesiod. Oper. v.* 200.*) invidet, et cum Iunone (h. e. Livia: v. Gor. in Columbar. Liv.) conqueritur, quod cantu non aequaret avem illam (Germanicum). Vtique Tiberius poeticam gloriam adfectavit. Suet. Tib. c.* 70. *Plin. H. N. II.* 25. *In Iunonis Liviae responsione ingenium ipsius elucet, quae, sublatis inanibus, potentiam solam aestimabat. Tacit.* Ann. III. 57. *Suet.* Tib. c. 50.

ANNO CHR. XIX.

Pompeiopoli in Cilicia, quem sibi asylum petierat, Vonon I. Rex Parthorum, ob divitias interficitur, iubente Tiberio. Hinc lib. II. fab. 8.

ANNO CHR. XXI.

Aulus Caecina suasit in Senatu , ne Romani magistratus in provinciam discedentes , uxores eodem abducerent , maligno sermone Agrippinam carpens ; quare placuit Tiberio , nec tamen Senatui populoque . Tacit. Ann. *III.* 33. *Phaedrus ergo III.* 3. *docet , nisi uxores abducerent , fore ut monstrosae quaevis libidines in provincias transferrentur ; quem locum imitatur apertissime et explicat Iuvenalis II.* 121. *Poeta etiam noster IIII.* 15. *confutat Caecinae orationem , qui feminarum arrogantiam reprehendebat in virilibus muniis occupandis .*

ANNO CHR. XXV.

Seianus Livillam Tiberii nurum sibi uxorem petit ; sed malignâ ac turbidâ principis responsione perculsus , de secessu quaerendo , negotiisque urbicis vitandis cum eodem loqui coepit . Tacit. Ann. *IIII.* 39. *et* 41. *Huc refer lib. I. f.* 3. *et* 4. , *lib. IIII. f.* 2.

Hoc etiam anno veteres principis amici de medio tolluntur Seiani calumniis . Livia ex parte aliâ novos amicos , scil. clientelam Seiani perditam ibat . Ita Tiberius et veteribus et novis amicis utrimque spoliabatur. Tacit. Ann. *IIII.* 29. *Suet.* Tib. *c.* 55. *Phaedrus hoc*

tangit, *II.* 2., *et Seianum* pulcram iuvenem *dicit*, *quia cinaedus*, *Tacit.* Ann. IIII. 1.

Tiberius cum Agrippina saepe rixatur. Nam veneni suspicio a Seiano iniecta serebat inimicitias: quae tandem in Agrippinae, et familiae ipsius interitum proruperunt. Tacitus Ann. *IIII.* 52. 53. 54. *Phaedrus*, *I.* 26, III. 16.

ANNO CHR. XXVII.

Phaedrus I. 30. *proximum Tiberii adventum in Campaniam ob domestica dissidia, graphice adumbrat. Rursus aulae subindicat dissidia*, *II.* 4. *Neque alia potior fuit caussa Tiberiani secessus. Ergo Phaedri calamitas initio anni ipsius consignanda. Poeta evaserat, quia pauper II.* 7. *Mox Seianus, ut solebat, obiectâ spe lucri ipsum in suas partes trahere frustra adlaboravit. I.* 23. *IV.* 11. *Denique calumniis adgressus est, quasi apologis Caesarem carperet, III. prol. Ita nostrum facile perdidit, I.* 1., *III.* 10. *Pulsum credo relegatione in Campaniam, de more scilicet recepto, quum castigandi forent liberti Augustae domus.*

Ambitio Liviae iam proruperat, eaque prae ceteris caussa fuit Tiberio discedendi. Suet. Tib. c. 51. *Tacit.* Ann. *IIII. c.* 57 *VLYSSES STOLATVS idcirco dicta, Suet. Calig.* c. 23. *Adludit Phaedrus III.* 17.

Secessum Tiberii, Seiano evenisse auctore, ut periculum evaderet, Noster cum Tacito Ann. IV. 39. 41. *demonstrat IIII.* 8. *Heic sub* Hirco *Tiberius latet. Vide Suet.* Tib. c. 43.

Comites perpaucos avarissimus princeps in solitudinem Caprearum secum duxit. Tacit. Ann. *IIII.* 58. 67. *Suet.* Tib. *c.* 40. *Hi sunt Canes, lib. I. f.* 20., *qui ex magno Tiberiano thesauro ne salarium quidem exculpserunt. Suet.* Tib. c. 46. *De iisdem queritur in* II. epil.

Semper tristis Tiberius, semper odiosus, Augusti hilaritatem desideratissimam effecit. IV. 9. *III.* 14.

Cecidit spelunca (ubi nunc Sperlonga *ad Caietam), nec Tiberium, sed libertos quosdam ruinâ oppressos interemit. Tacit.* Ann. IIII. 59. *Suet.* Tib. c. 39. *Poeta in proximo Pompeiano degens, calamitatem in beneficium vertisse putavit, quia cum collibertis illis perire potuerat, si Tiberio in speluncâ ministrasset. Hinc scripsit libri IIII. fab.* 24. *ubi sub Simonidis personâ latere voluit, quia et* gryphos *ille composuit, qui in classem referuntur apologorum. Eodem quoque libro fab.* 21. *Simonidis larvam resumit, a Claudio se benigne acceptum et sustentatum indicans in villâ ad Pompeios.*

Hoc etiam anno accidit quod narratur lib. II. fab. 5.

ANNO CHR. XXVIII.

Primo anni die Titius Sabinus periit astu Latinii Latiaris tractus in crimen. *Tacitus* Ann. *IIII*, 68. 69. *Sub typo* mustelae *venit Latinius, et factum exponitur lib. IIII. fab.* 1.

Hoc potissimum tempore odium exarsit Agrippinam inter et Liviam. *Tacit.* Ann. *V*. 3, *Phaedr. I.* 28. *Tiberius* biberius *inauditas libidines in insulâ suâ excogitavit*. *Iuven. VI.* 300. Quid enim venus ebria curat? Inguinis et capitis quae sint discrimina nescit. *Plin. XIIII.* 22. Praemium summum ebrietatis, libido portentosa, et iucundum nefas. *Hue faciunt libri* III. fab. 13. et 14.

Agrippinae liberalitatibus Auctor sustentatur in Campaniâ. Lib. III. fab. 15.

Fufius Geminus eodem anno designatur Consul. Aptus homo alliciendis feminis, et gratiâ Liviae florens Tiberium acerbis facetiis irridebat. *Tacit.* Ann. V. 2. *Hic Musca est caput regium dolone suo compungens, et matronarum oscula delibans*, lib. III. f. 23. *Poeta* se formicam *fatetur, at proximum Fufio Gemino interitum vaticinatur*. *Mortuâ Liviâ, periit musca Fufius*.

ANNO CHR. XXIX.

Avaritia Tiberii thesaurum servantis reprehenditur IIII. 19. 20. *Innuitur Liviae funus hoc anno sine ullâ pompâ celebratum, odium Tiberii in ludicra spectacula, sordes in mensâ, et alia quae produnt Historici.*

Seianus (cornix) *Tiberium* (aquilam) *docet quomodo domisedam fecundamque Agrippinam* (testudinem) *perdat. lib. II. f.* 6. *Quae quidem hoc anno cum Nerone et Druso liberis damnatur. Tacit. Ann. V.* 3. *Tiberius* (noctua, *quia moribus et oculis noctuinis*) *Agrippinam conviciantem sibi* (cicadam) *pessumdat. III. fab.* 16. *Tacit.* Ann. IIII. 12. 52. 53. 54. *Anno tandem XXXIII. mori coacta; sed vulgus mortuam credidit statim post decretum Senatus.*

Auctor I. 5. *acute revelat artes regnandi Tiberianas. Initio paene privatum egit. Suet.* Tib. c. 26. *Tacit.* Ann. I. 15. III. 60. IIII. 6. 7. *Tunc nominabatur* Leo. *Mox* fortis, *abolito suffragiorum iure. Tacit.* Ann. *I.* 15. *Deinde* plus valuit, *mortuâque matre fraenis exsolutus prorupit. Tacit.* Ann. *V.* 3. *Denique ad rapinas convertit animum. Suet.* Tib. c. 49.

ANNO CHR. XXX.

Quum superiore anno cecidisset Agrippina, quae

poetam in calamitate alebat, *ut vidimus ad ann.* XXVII., *ex clientelae naufragio Phaedrus evasit*, *atque in amicitiam Claudii venit commendatione ingenii*. *Id exprimitur lib.* III. *fab.* 21. *Claudius hoc tempore Pompeiis latitabat in Campania* (*Suet.* Claud. *c.* 27.). *Notus ergo poeta illi fuit*, *quia colebat Agrippinam in villa Herculanensi proxime degentem*. *Seneca* de Irâ, XII. 49. *De Claudio*, *qui his diebus*, *beato in secessu vacabat*, *Sueton. Claud. c.* 5. In secessu Campaniae delitescens in contubernio sordidissimorum hominum. (*h. e. libertinorum*.) *Tacitus*, Ann. XII. 49. *vixisse narrat* in conversatione SCVRRARVM. *Pollux*, *VI.* 28. fabularum auctores *nuncupari testatur* scurras, derisores. *Nostro etiam* derisor *appellatur Aesopus*, *III.* 14. *Socrates* derisor *nuncupatus est Timoni*, Diog. Laert. lib. 2., *et Senecae*, de Benef. V. 6. *immo* SCVRRA *Ciceroni de Nat. Deor.* I. 34. *Lactantio III.* 20., *Minut. Felici*, *c.* 33. *sect.* 7. *Phaedrus*, *qui Socratem tota vita aemulatus est* (*vide lib. III. fab.* 9.) *non alio pacto* SCVRRA *fuit*.

Quum dixi Phaedrum relegatione in Campaniam fuisse coercitum, *non tamen id factum intelligebam solemni iudicio*, *sed praeiudicio quodam familiari inter palatii parietes*, *cuiusmodi sententiae domesticae de libello recitantur in Petroniano Trimalchionis convivio*, *cap.* 53. *Fuit enim Seianus* iudex (*III. prol. v.* 41.) *nec facile*, *nisi privatim in caussa ministrorum Caesaris iudex*

esse potuit . *Accedit* , *quod* testis *idem* , *atque* accusatos *exstitit* , *ut* ibidem *poeta queritur* ; *in eoque vides capitalis quaestionis formulam solemnem sequutum non fuisse* . *Relegatio porro in Campaniam poena non fuit* , *sed mitissima libertorum castigatio* . *Seneca* , de Clem. I. 18. *Tacit.* Ann. *III.* 63, *XIII.* 20, *XIV.* 60. *Sueton.* Aug. c. 23. *Exemplum videbis in Etrusco liberto Caesariano* , *qui de more ita coercitus* , *ex Campano secessu potius* , *quam relegatione* , *tandem est in palatium revocatus* . *Stat.* Silv. III. 3. *Itaque poeta noster in secreta Campaniae detrusus* , *ordinariam sub Tiberio damnationem nullam subiit* , *neque immo sub successore Caligulâ* , *quum* reddi *sibi* iudicium , *ac de se decerni postulabat* , absolvi *cupiens vel mortuus* . (*III.* prol. *v.* 63. *IV.* 25. *v.* 26. , *III.* 9. *v.* 4.) *In Campanis litoribus ab Agrippinâ sustentatus est ad eius fortasse villam Herculanensem* . *Ipsâ damnatâ* , *pervasit in amorem Claudii* , *novumque istum fautorem coluit* , *dum in proximâ Pompeianâ villâ* , *ut praediximus* , *privatam agens inter scurras lateret* , *seque adeo fabulator noster Claudii scurris immiscuit* .

Iam Phaedri domum Pompeianam , *in effossionibus anni* 1805. *benigna fortuna in lucem ex Vesuvii faucibus protraxisse videtur* , *quam nempe* , *nihil de poetâ suspicantes* , *describunt eruditi auctores* , *deque rebus patriis optime promeriti* . *Iustinianus* Dict. Geogr.

t. IX, p. 30., *et Romanellius*, Itin. ad Pompeios p. 44., 79., et 82. *Disiectum adparet undique aedificium, scil. terrae motu anni* LXIII. *Ad frontis limina rubricatus titulus olim penicillo inscriptus fuit, ut in reliquis Coloniae domibus. Inscriptiones huiusmodi, constant literis evanidis et vetustate paene deletis* (*Romanell. p.* 43.). *Ergo terrae motu illo antiquiores hinc etiam probantur; quia refecta aedificia post motum terrae, et anno dein* LXXIX *Vesuvino cinere sepulta, tam luculentam praeseferunt novitatem, ut heri absoluta, aut nudius tertius videantur.*—(*Romanell. p.* 65.) *Bina nunc lemmata profero, quorum unumquodque exstat in duplici domus aditu. Ea male a quibusdam exscripta recognovi. Prius est:*

C. IVLIVM POLYBIVM II. VIR
VATIA ROG.

Omiserunt secundam lin., ut quid monstro simile. Vatiam refert Senec. epist. 55. metu Seiani in Cumano se se abdidisse. Alterum ita excurrit: a me visum.

C. I. P. II. VIR I. D. AEQVANVS

Ne quartum casum in priori titulo mireris. Ita enim plerumque efferuntur nomina in aedium Pompeiis detectarum inscriptionibus. Quibusdam, ut heic, adiicitur ROG. *h. e.* rogat, *aliis* O. V. F. *nempe*, orat ut faveat, *spatio inferne relicto, ut si quid petitores vellent, ipsi nomen suum adscriberent, seque clientes in albo profiterentur.*

Docet hoc integra epigraphe (*Romanell. p.* 43.)

M. HOLCONIVM PRISCVM
C. GAVIVM RVFVM II. VIR
PHOEBVS CVM EMPTORIBVS SVIS ROG

Accedit consimilis (*Roman. p.* 182.) M. CERRINIVM, AED. SALINIENSES ROG. *Aedilem scil. ut faveat, precantur vici Saliniensis incolae* . *Memorantur* Salinae *ad Pompeios, campus nempe indicatus Vitruvio, et* sale *h. e. bitumine abundans, ut egregie in* Phratriis *docuit Ignarra* : *Item exstat lemma aliud* (*Rom. p.* 60.) C. CEIVM SECVNDVM AED. VENERI ROG. *Scil. rogant Venerii, incolae vici* VENERIS (*vid. schol. ad Fab.* XVI. *v.* 16.) *cives tamen, quia* CENTVRIA VENERIA *in albo civium legitur* . (*Vide Isag . Herculan. part.* 1. *tab.* 14. *lin.* 1., *tab.* 16. *lin.* 10.) *Regio Sanctae* Veneris *extra* Retinam *porrigitur Pompeios versus* . *Est et alia inscriptio* : POSTVMIVM PROBVM · AED. POTHINVS ROG · VER TVNNVM (*diss. isagog. Herc. Part. I. tab.* 13.) . *Illa* : VER TVNNVM : *sunt alio charactere scripta, scil. Aedilis Postumii, ioco monentis cetarium clientem , ut mittat supervacuos honores , ac thynnum potius adferat, cuiusmodi lucella Aediles captabant* ; (*Apulei. Met. lib.* 1.) *Sic et iocosum Iuliae programma puto* (*Isag. p.* 65.) *Quis enim crediderit* nongentum tabernas *eam locasse Pompeiis praeter balneum Venerium, in vico scil. Veneris ? Omnino urbanus aliquis ita in lenam*

pauperem lusit, ut indicant sigla S. Q. D. L. E. N. C. *hoc est, interprete doctissimo Episcopo* Rosino „ *Si quis domi lenoniam exercet, ne conduxerit* „ *Et iactabundam quoque anum notavit, quia iactabundi solebant cum his titulis proscribere. Petron. c.* 38. *Denique et alia ibidem lemmata ad nostrum Polybium pertinent.* C. IVLIVM POLYBIVM · IIVIR. MVLIONES ROG (*diss. isag. tab,* 7.) C. IVLIVM POLIBIVM H. VIR. I. D. DIG. REI. PVBL. (*ibid. tab.* 11.) *Alias adclamationum formulas obiter adnoto:* FELICITAS, SALVTEM, *omnia* FORTVNATA CVPIT. *Sic* (*ibid. tab.* 9.) O PROCVRATOR FELICITAS. *Item* (*tab.* 13.) PERENNINVS · OCELLAE · NIMPHEROIS · IKARO. VNICO. SAL. *Aliam ego exscripsi.* C. I. P. H. VIR. · CN. HELVIVM. SABINVM. QV. · QV. T. ACRISIVS ET · . . . · FORTVNATA CVPIT ·

Inscriptionibus C. *Iulii Polybii discimus, Duumvirum fuisse, nec tamen Pompeianae coloniae,* (*licet inter candidatos* DIGNVS *hac Rep. adclamaretur*), *at certe* AEQVANI *oppiduli in proximo tractu Stabiarum. Rectissime* AEQVANVS *dicitur, non vero* Aequensis, *ut monuere Camillus Peregrinius* Campan. disc. 2. §. 24., *et iunior Sanfelic. in* Indice ad senioris Campaniam p. 255. *Postquam Sylla Stabias delevit, plures ibi* Villae *enatae sunt, teste Plinio,* H. N. III. 5., *quas inter* AEQVANA *ex deletā urbe cognomine in agro Stabiarum, eaque tandem* Massa Aequana *adpellata est, hodieque adpellatur.* (*Milante*, de Stabiis Diss. I. p. 30.) AEQVANA *autem*

VILLA, ut Plinio innuitur, potuit VICVS promiscue dici; nec accedimus Iustiniano docenti in Dict. Geogr. t. X. p. 53. *sed ex coniecturâ, anno demum* 1300. Vici *nomen oppidulo inhaesisse*. Trivicus *utique oppidulum, seu* vicus *fuit in Hirpinis meis; atqui Horatius* Villam *nuncupat, ut synonyma agnoscas* Vicum *et* Villam. (*v. diss. isag. Herc. p.* 82.) Magistros duos *Vicus quisque habuit, ut Romae etiam hoc tempore. Morcell·* de stil. inscr. p. 41. *Atque hi nobilius* II. *Virorum nomen sumserunt, quum et vere* II. *Viri se Coss. dictitarent. Risisset Horatius Polybium, quomodo Fundis non aliâ de caussa Luscum Aufidium. Sed maiores quoque in claris urbibus honores liberti Caesarum captabant, ut modesta satis videatur ambitio Phaedri, si se oppidulo continuit.*

Iam poetae domus Pompeiana pulcherrima est, partibusque suis concinne distributis constat, atque elegantiam domini non dissimilem ostendit. (*Roman. p.* 79.) *Amoenissimo etiam prae ceteris prospectu maris gaudet, cuius quantum studiosus fuerit poeta, villae Misenensis arguit descriptio II.* 5. 4., *ubi eius magnificentiam laudans, dotem non omittit immo unicam aestimat illam, quod mare specularetur quam latissime:*

Prospectat Siculum, et prospicit Tuscum mare
(*fort.* respicit.)

In primâ diaetâ, a vestibulo dextrorsum, Actaeon eleganter musivo opere exprimebatur a canibus dilaniatus. Vide

Romanell. cit. p. 79. *Poeta, ni fallor, se ipsum hoc emblemate denotare voluit a Seiani emissariis confectum. Et quidem* Canes *vocat Cicero emissarios Verris et Clodii* (I. Verr. 48, et *III.* 11., ad Attic. VI. 3.). *Eodem symbolo delatores innuunt Horatius*, Epod. *VI. et Columella* in praef. *Hos ipsos* canes palatinos *adpellat Boethius, Consol. I.* 4. *Immo de Seiani adseclis, amicus poetae Seneca,* ad Marc. c. 22. Acerrimi Canes, quos ille sanguine humano pascebat. *Neque alio typo Auctor utitur, ubicumque vult delatores in scenam producere. Vide, I.* 12, 17, 20 *II.* 3., *IV.* 5. *Iustinianus IX.* 30. *perperam tradit in Polybii domo pictum Actaeona, et raptus Europae, ac Proserpinae. In domo contra opposità haec vidi picta egregie: Baccham cymbalistriam, raptum Europae, Actaeona cervinis iam erumpentibus corniculis a duobus canibus discerptum instigante Dianà, Phrixum ariete vectum lapsà Hellè, amores Martis ac Veneris, etc.*

Quidquid sit, videtur Auctor fabulam 9. *libri* III. *composuisse, dum sibi hanc Pompeiis domum aedificabat. Illo enim apologo, ut suorum amicorum dilapsum ac perfidiam notaret, angustiasque aedium excusaret, non solum arguto utitur Socratis aedificantis dicto, · sed disertissimis quoque verbis ipsius imitatorem se profitetur.*

Hoc anno scripsit lib. I. f. 7. *ubi Seianum summà fortunà attonitum sugillat.* Personam tragicam *facete vocat. Etruscus enim fuit, atque in Etrurià personae primum*

inventae. *Seiani corpus firmum*. (*Paterc*. *II*. 127. *Tacit*. Ann. *IV*. 1.) *Ergo facies magna*, *ut in larvis tragoedorum*. *Nec* deformis erat (*Tacit*. *l*. *cit*.), *licet* labiosus, (*Iuven*. *X*. 67.) *et vultu* tranquillus: (*Paterc*. *et Tacit*. loc. cit.,) *quae tria in larvis observamus*.

Iam eodem hoc anno Tiberius plures perdidit Seiani ministerio, *ut Leo asini clamore exterritas bestias*. lib. I. f. 11. *Vide Suet*. Tib. c. 55. *Paene ipsum Tiberium* (leonem) *formidine adfecerat*. *Suet*. ib. c. 65.

Asellius Sabinus tangitur lib. *III*. *f*. 13. *et lib*. *V*. *f*. 5. *Is mythographico opusculo avarum Tiberium ad ingentem liberalitatem pellexit*. *Suet*. Tib. *c*. 42. *Videtur Phaedrus auctor fuisse verus opusculi*.

ANNO CHR. XXXI.

Interimitur tandem Seianus. *Huc faciunt I*. 9. 17. 24. 27. *III*. 5. *V*. 7.

ANNO CHR. XXXII.

Seiani clientes conquiruntur ad necem. *Excusabant se se*, *quod amicum principis coluerant*. *Tacit*. Ann. V. 6., VI. 8. *Sed Phaedrus ait*, *merito morti tradendos*, *quoniam delectati forent humano sanguine V*. 3., *quodque non principi aut patriae consuluissent*, *sed tantum sibi*, *damnatorum bona invadendo*. *lib*. 1. *f*. 22.

Caius Caligula a Vestilio et Cotta infamatur quasi muliebria patiens. *Tacit*. Ann. VI. 5. et 9. *Phaedrus lib*. *III*. *f*. 8. *in Caligulam ludit*, *qui dictus* CAIA;

sed facie turpissimâ. *Frater rixans est Tiberius Nero Gemellus Tiberii Aug. nepos. Caligula numerabat annos XX. Gemellus annos* XIII. (*ex Dione lib. LIX. p.* 640. *et Suet.* Calig. *c.* 14.)

ANNO CHR. XXXIII.

Principes Augustae domus necantur. De hoc I. 31. *Trapezitae pecunias subtrahunt, nec inventus qui mutuas daret. Tacit. Ann. VI.* 16. 17. *Phaedrus trapezitis favet I.* 16.

Sextus Marius homo in Hispaniâ ditissimus interficitur iussu Tiberii, Tacit. Ann. VI. 19. *Hic est Cervus lib. I. f.* 12.

ANNO CHR. XXXV.

Varius Ligur instantes accusatores obiectâ pecuniâ submovet. Tacit. Ann. VI. 30. *Rem mali exempli putat Phaedrus II.* 3.

ANNO CHR. XXXVII.

Caius Caesar mense Martio Tiberium interficit in Misenensi villâ. Huc refero lib. I. f. 21. *IV. f.* 18.

Caligula equum insiluit, apros exterminare simulans, IV. 3. *Imperium scil. capessivit, et delatoribus infenso animo populi favorem captavit. Suet.* Calig. c. 15. et 16. *Sed postea pop. coegit servire, ac deinde delatoribus favit.* ibid. c. 30.

In lib. V. fab. I. Caligula est Demetrius; sub Menandro latet Cassius Chaerea, de quo mox.

Lib. IV. fab. 16. *Auctor, qui Caligulam intus noverat, Amicos monuit, fore ut illa prima serenitas in horribilem tempestatem verteret.*

ANNO CHR. XXXVIII.

Caligula odio habuit ICtos, morum veterum libertatisque tenaces. Gloriabatur unam syllabam EVM ipsis relicturum. *Sueton.* Calig. *c.* 34. *Emendandum arbitror: HEV. Et Claudius ICtos oderat. Vide Senec.* Apocol. *Quin blandiens Augusto Horatius viros optimos derisit.* lib. I. serm. 1., *et II.* serm. 2. v. 80. *Nil mirum si noster quoque Phaedrus ipsis videatur iniquior I.* 14. *III.* 10. *IV.* 4.

Hoc anno iugum Caius excussit. Idcirco huic anno potissimum adfigo cit. IV. 4.

Traducit lib. V. f. 9. *ridiculam insolentiam Macronis in fatuo iuvene admonendo. Tauri sermo idem est ipse, quem fuisse principi refert Philo,* de Legat. ad Caium. *Pariter lib. III. f.* 6. *Caligula* (mula) *spernens Macronem* (muscam, *aulicum. Vide cl. Equit. Avellin. in Plaut.* Captiv.) *declarat se pendere a nutu Eutychi* (aurigae), *qui auriga fuit factionis prasinae, et vere furiosi illius dominus. Eutychum commemorant Iosephus et Suetonius, ut inferius dicam.*

Iulio mense Drusilla moritur. Caius dolorem avocat

caussis in foro audiendis. *Seneca*, ad Polyb. c. 36. *Aliquando, quum postulantibus delatoribus Tetrinium furem* (*malo* Tertinium) *damnasset*, *addidit*; Etiam qui postulant sunt Tertinii. *Sueton*. Calig. c. 30. *Ridiculam sententiam Auctor exhibet*, *lib. I. f.* 10.

Saevitia hoc primum anno odiosissimum populo Caium facit. *Huc refero cum aliis lib. I. fab.* 2. *Schefferus obiicit* parvum tigillum *a ranis impune conspurcatum non videri Tiberium esse*. *Immo nec melius Tiberianos mores expresseris*. *Sueton*. Tib. *c*. 63. Contumeliis obnoxius. *Tacit*. Annal. *VI*. 38. Contemtor suae infamiae. *Postremum hoc repetit Sueton. c*. 28. *et* 66. *Porro coluber Caligula*, *ut* IV. 18., etc.

ANNO CHR. XXXVIII.

Caligula uxorem ducit Caesoniam. *lib. I. f.* 6.

Idem Puteolos et Misenum cum aulicis venit. *Auctor e vicinia adcurrit*, *ipsisque agnitus sed neglectus*, *conscribit fabulas* 1., 9, *et* 12. *libri III*. *Fuerunt*, *qui poetam in palatium revocarent*, *sed renuit*; *I*. 18., *et* 25, *III*. 7.

Auctor editionem primam operis curaverat sub Tiberio, *neque ultra priores libros duos processerat*. *Iam hoc anno alteram editionem vulgat*, *adiectis libris III. et IIII*. *In postrema editione sub Claudio*, *fabulae per-*

mixtae sunt, ordine annorum turbato. Vide subiectam Clavem.

In prologo libri III., et libri eiusdem fab. 19. *Eutychi benevolentiam captat, de quo Suet.* Cal. *c.* 55. *Ioseph.* Ant. *XIX.* 3. *Sed ut ingratum insectatur I.* 8.

Domitius Afer (vulpes) *Caligulam* (corvum) *ludit, sibi servans per adulationem eloquentiae vitam et bona, quibus ille inhiabat. Dio lib. LIX. p.* 654. 655. *Facit ad rem lib. I. f.* 13.

ANNO CHR. XL.

Iovem ipsum Caligula irridet, ipsique minatur; templa despoliat, Sueton. Calig. c. 57. *Phaedrus iram Iovis imprecatur sacrilego, IV.* 10.

Irridet quoque demens Cassium Chaeream fortem quidem virum, sed qui cinaedus habitu videbatur, gestibus obscoenis eumdem traducens. Suet. Cal. c. 56. *Phaedr.* I. 29. III. 11.

Expeditio Germanica in collectionem conchyliorum desiit. Vide IV. 22.

Deciderat Caius in foveam, tumultuante exercitu. Suet. c. 48. *Romam adventans proclamavit,* se revertisse, sed iis tantum qui optarent, neque principem Senatui amplius fore. *Suet. c.* 49. *Hinc senatores plurimos interfecit* (*Dio*, lib. LIX. p. 660.) *populo immensa*

largitus. (*Suet.* c. 37. *Ioseph.* XIX. 1.). *Argumentum exsequitur Phaedrus* III. 2. III. 5.

Coniurati mortem Caligulae meditantur. *Phaedrus amicus Cassii Chereae, cogitationis particeps, obscuris minis rem indicat* III. 4. IV. 6, *et* 7., V. 8.

Mortuo Apione Alexandrino Grammatico scriptus apologus 20. *libri* III. *Hunc Tiberius, teste Plinio praef. H. N.*, mundi cymbalum *vocabat*. *Sed et aliae rationes luculentissimae adstruunt in asino Corybantum Apionem latere*.

Legati Iudaeorum Alexandrini paullo ante fuerant in extremum periculum ac terrorem a Caio deiecti. *Conf. lib.* III. *f.* 17. *Heic Iupiter est Caligula, qui se talem dici et coli iussit, Canes Iudaei, Mercurius Homulus*. *Neque omnia adsequeris, nisi perlegas Philonis librum* de Legatione.

ANNO CHR. XLI.

Ianuario mense, Cassius Chaerea, aliique coniurati Caium obtruncant. *Claudius a militibus imp. proclamatur, dum nihil tale cogitat, sibique ipse in latebris timet*. *Vide lib. II. fab.* 1. *Praedo, seu Venator, qui ibi excluditur, est Valerius Asiaticus, homo* ferox et arrogans (*Seneca de Tranq.* II. 18.). *Mentiebatur se Caligulam occidisse, ac proinde inhiabat*

imperio. Tacit. Ann. XI. 1. *Ioseph.* XIX. 3. *De hoc vide lib. V. fab.* 2.

Frustra Sentius Saturninus Consul cum aliis Rempublicam restituere conati sunt. Obcalluerat populus sub dominatione Caesarum. Vide lib. I. *f.* 15.

Eodem hoc anno Claudius Imp. Polybium (scil. Phaedrum) sibi Cubicularium, et Magistrum a studiis adscivit: Cubicularium *adfirmat inscriptio sepulcralis relata superius in* Coniecturis. *Ibi legitur* CVBVCVLARIVS, *quomodo tunc vulgus pronunciabat. Marmor ap. Pignor. de serv. c.* 21. *M. LIVIVS AVGVSTAE L. AMARANTHVS. SVPRA. CVBVCVLARIOS. Magistrum* a studiis *comprobat Suetonius in memorato ibidem loco. Annum aetatis Phaedrus agebat* LVI., *Claudius* LXII. *Lepide Poeta* lib. V. f. 6. *ludit ob defectam in utroque aetatem, quae nec iam felicitatis insperantibus obventae diu se compotes fore sineret. Sistit ibi calvos duos, qui in via pectinem sibi inutilem forte repererant.*

ANNO CHR. XLII.

Camillus Scribonianus in Claudium rebellat. Incitatus a Claudio Phaedrus ut epistolam satyricam Scriboniani, de qua Sueton. Claud. c. 35., *probris acerbioribus retunderet, canem se edentulum excusat,* lib. V. f. 10.

ANNO CHR. XLIIII.

Phaedrus tertiam editionem operis in publicum emittit, adiecto libro V. Hoc toto, iam felix poeta, non irascitur amplius fortunae, non queritur, ut consueverat, sed vitam operibus suis auguratur, Latinis dum manebit pretium literis. *Tunc ipsum puto inter duos Consules L. Quintium Crispinum, et M. Statilium Taurum ambulasse. Vide* Coniecturas *nostras, ex quibus etiam nosces, hoc anno Phaedrum ab exule Senecâ librum* de Consolatione *ob mortem fratris accepisse. Adparet ergo novae editionis libellos ad Senecam transmisisse, quem tecto* particulonis *nomine collaudat, dum ad plura, quae in libro sunt philosophi, intento quasi digito rescribit.*

ANNO CHR. XLVIII.

Hoc anno scriptam arbitror extremam poetae fabulam in Coniecturis *adlatam, quâ Messalinae adulterium, et Claudii stultitiam insectatur. Vtique hoc anno Polybius, sicut eo loco evici, quoniam heriles infamias non concoxerat, Messalinâ iubente interfectus est. Annos numerabat p. m.* LXIII.

CLAVIS DEDICATIO

AD FRANC. DE FVRIA V. CL.

Clavim lubenter Promocondo tradimus
Antiquitatum literarumque omnium,
Perite ut reseret arcam Phaedri musicam,
Quis Promuscondus? aiunt. At, qui interrogant,
Hos rupicones et petrones nuncupo.
Equidem, quacumque bina currunt sidera,
Decus Musarum atque Italorum FVRIVS
Merito laudatur celebraturque et plauditur.
Praefectus, inquam, Bibliothecae Mediceae,
Thesauros nobis qui non servat abditos,
Sibive ignotos, Phaedri ut infelix draco.
Sed tanta quum possideat, invidens nihil,
Largitur in commune quod fecit lucri.
Testes mearum laudum Aesopi Fabulae
Nuper protractae ex orco, ut mittam cetera;
Quo FVRI *nomen pyramides Niloticas,*
Et aenea signa, aeternas et vincet bases.
Vtinam ille docto tam benignus militi
Numquam fuisset! Sed Vir omnium optimus
Negare nescit quod rem nostram publicam
Possit iuvare; si aliquid incidat mali,
Videt imputandum durae fati miseriae,

Neque adeo a bene faciundo cessandum sibi.
At male sit istis barbaris custodibus
Manu scriptorum codicum Euclionibus !
Quid inde abscedet, oculis emissitiis
Si quid rimabor ? Nescis, funginum caput ;
Quid lateat. Pylios vel si duxeris dies,
Aeque ignorabis. Euge ! pastor es datus
Heic blattis muribusque ; nam terebrantium
Rodentiumque impune, stridorem audio.
Tu soricinas belle verrens taenias
Rides papyros interisse, furcifer.
O seclum insipiens ! En quos fortuna extulit,
De sterculino gallos gallinaceos,
Ante uniones qui hordei granum aestimant !
Nunc sic istorum retudi insolentias,
Promtus machaeram, ubi sit opus, distringere.
Probe quà tuceta faciam, ne dubita modo,
Neque eam Thrasonis, at petam mehercules
Ex Hipponactis vetere armamentario.
Age, te lacesso Livor ; dum faveat mihi,
Alter Maecenas, inlibatus flosculus
Smaragdns beryllus margaritum Etruriae,
Musis amicus et philomusis FERIUS.

PHAEDRI

CLAVIS CASSITTIANA.

PARS I. CHRONOGRAPHICA.

SECTIO I. Tempora Editionum.

1. LIB. I. et II. editi sunt anno Christiano XXVI. sub Tiberio.

Libro enim II. epilogus adtexitur, in quo » abollas » h. e. Tiberii comites Graeculos sibi infestos poeta exagitat, seque in Caesaris adhuc palatio versari, licet invisum, indicat, lectorem denique precatur, ut apte fictas fabulas » sentiat », h. e. vim satyricam occultam vestiget. In utriusque libelli prologo monet, quae monuisse ut Auctorem par erat, nec de fortunis suis queritur, sicuti fecisset relegatus. Proximus ergo calamitati scribebat, quam subiit anno Chr. XXVII.

2. Iidem libri cum accessione III. et IIII. prodierunt anno Christiano XXXIX. sub Caio.

Florebat Eutychus gratiâ Caii anno XXXIX., quumque poeta Pompeiis degens et in reatu pendens, Eutychi patrocinium sibi imploret in prol. lib. III., et in epil. lib. IV., sive fab. 25., utique altera isthaec editio non alio anno consignanda videtur, quam quo maxime stetit Eutychi potentia.

3. Denique priores libri Quatuor, adiecto libro V., editi sunt anno Christiano XLIV. sub Claudio. Etenim hunc librum cum reliquis Phaedrus ad particulonem Senecam misit, si attendimus lib. V. prologum, et fab. 5., et quidem ad Senecam in Corsicà exulem anno XLIV, ut fusius alibi.

4. Neque obstat, fabellas confuso ordine temporum esse permixtas in quinque libris Pithoeanis. Alià enim serie veniunt in codice Perottino, alià in Romulo Brantii, diversà in unàquàque Sylloge Nilantii, et aliorum. Ergo ab amanuensibus confusa sunt omnia; nisi velis Auctorem ipsum in editione tertià fabellas miscuisse, quo magis satyrae involverentur. Horatius, Ovidius, Martialis temporum ordinem in scriptis suis observarunt. Sed de auctoribus omnibus idem ne censeam, facit exemplum iunioris Plinii lib I. epist. I. » Collegi (epistolas) non servato temporis ordine, neque enim historiam componebam, sed ut quaeque in manus venerat ».

SECTIO II. Tempora Fabularum.

I. LIBER. FAB. I. anno Christi 27. II. anno 38. III. an. 25. IIII. an. 25. V. 29. VI. 39. VII. 30. VIII. 39. IX. 31. X. 38. XI. 30. XII. 33. XIII. 39. XIIII. 2. XV. 41. XVI. 33. XVII. 31. XVIII. 39. XIX. 15. XX. 27. XXI. 37. XXII. 32. XXIII. 27. XXIV. 31. XXV. 39. XXVI. 25. XXVII. 31. XXVIII. 28. XXIX. 40. XXX. 27. XXXI. 33.

II. LIBER. FAB. I. anno 41. II. an. 25. III. an. 35. IIII. 27. V. 27. VI. 29. VII. 27. VIII. 19. Epil. an. 39.

III. LIBER. PROLOGVS anno 39. FAB. I. an. 39. II. an. 40. III. 21. IIII. 40. V. 31. VI. 38. VII. 39. VIII. 32. IX. 39. X. 27. XI. 40. XII. 39. XIII. 30. XIIII. 27. XV. 28. XVI. 29. XVII. 27. XVIII. 18. XIX. 39. XX. 40.

IIII. LIBER. FAB. I. anno 28. II. an. 25. III. 37. IIII. 38. V. 40. VI. 40. VII. 40. VIII. 27. IX. 27. X. 40. XI. 27. XII. 15. XIII. 28. XIIII. 28. XV. 21. XVI. 37. XVII. 40. XVIII. 37. XIX. 29. XX. 29. XXI. 30. XXII. 40. XXIII. 28. XXIIII. 27. XXV. epil. anno 39.

V. LIBER. PROLOGVS an. 44. FAB. I. an. 37. II. an. 41. III. 32. IIII. 27. V. 30. VI. 41. VII. 31. VIII. 40. IX. 38. X. 42.

PHAEDRI

CLAVIS CASSITTIANA.

PARS II. SYMBOLICA.

SECTIO I. Symbola singularia Personarum.

AFER. vide, Domitius.

AGRIPPINA Germanici. Ob virilem animum, et potentiam, Capella III. 15. IV. 15. Ob fecunditatem, qua superbiit, Vulpes I. 28. Lepus I. 9. Scrofa II. 4. Quia domiseda, viro fida, et fecunda, Testudo II. 6. Quod pia in liberos, Ciconia I. 26. Quod acerba in rixis, Cicada III. 16. Ob calamitatem, Navis effracta IV. 21.

ALFENVS VARVS. Sutor I. 14. vide Chronol.

APION Alexandrinus. Asinus Corybantum. III. 20. Vide Chron.

ASELLIVS SABINVS. Ob plagium Fucus III. 13. Scurra V. 5.

AVGVSTVS. Ob sapientiam Aesopus III. 14. Apollo, ut coli et haberi voluit, III. 17. seu potius Iupiter, qua specie fulmen tenens exhibetur in colosso aeneo musei Regii, etc.

CAIVS Caligula. Iuvencus II. 1. et Bos V. 9. quia victima Iovi destinata. (V. Senec. Herc. Fur. v. 921. et Iustin. V. 10.) Ob saevitiam Panthera III. 2. Ob deformitatem et impudentiam Simius I. 10. III. 4. Quia aurigae Eutycho obnoxius, Mula III. 6. Puella

deformis, quia cinaedus, III. 8. Scurra III. 11. Mare infidum IV. 16. Iupiter, ut adpellari et coli voluit IV. 17. Coluber. I. 2. IV. 7. 18. Mons parturiens in expeditione Gallicâ IV. 22. Sol omnia exurens, ob avaritiam. I. 6. Asinus I. 21. et 29. Corvus, quia adfectabat laudem eloquentiae I. 13. Equi h. e. populi domitor. IV. 3. Criticus, quia Senecae opera et fortasse auctoris ridebat. IV. 6. Ob calvitiem Occasio V. 9. Propter tyrannidem Demetrius V. 1. Latro V. 2. I. 6. Sacrilegus IV. 10.

CASSIVS CHAEREA. Ob ferociam Aper I. 29. Quia voce molli, Eunuchus III. 11. et Menander V. 1. Miles strenuus, occiso Caio, V. 2.

CLAVDIVS DRVSVS. Casu imperator proclamatus, et hinc Viator II. 1. amicus et fautor adflicti poetae, ideoque Amicus Simonidis IV. 21. Calvus cum pectine, ob seram et inutilem seni potentiam. V. 6. Venator dominus. V. 10.

DOMITIVS AFER. Ob vafritiem Vulpes I. 13.

DRVSVS Germanici fil. Alter ex Dioscuris IV. 24. Illi enim Graecis Anaces h. e. principes, ut fuit cum Nerone Drusus. Item Ledae filii, sive Nemesis iracundae et atrocis, h. e. Agrippinae.

EVTYCHVS. Lupus perfidus, quia praemium negavit poetae. I. 8. Auriga III. 6. quia vere auriga factionis prasinae. Gallus gallinaceus cui nihil potius cibo, III. 12. quoniam Eutychus erat avarus, ut ex lib. III. prol. v. 10. seqq. et 24. (Gallus diligentiae in re familiari symbolum. Artemid. II. 47. Vide et Plin. X. 21., ubi alia ad rem). Quia serviit, Aesopus III. 19.

FVFIVS Geminus. Musca IV. 25. Vide Chron.

GERMANICVS. Hercules, quia libertati studens, et a Livià aerumnis expositus, deque Augusti divinâ familià heros III. 17. Villicus II. 8., quod rebus Orientis praefectus, Vononem Pompeiopoli tranquillum habuit, Tacit. Ann. II. 68. Luscinius III. 18. quia poeta egregius.

HELICO Caii Caes. lib. Crocodilus I 25. quia Aegyptius, et scelestissimus. Canis III. 7. quia servitio aulico addictus, et adulator.

HOMVLVS. Mercurius IV. 17. quod legationibus admittendis praeerat.

IVLIA Aug. filia. Canis hospita I. 19. quia corpus vulgaverat.

LATINIVS LATIARIS. Ob vilem ac vafram saevitiam, Mustela I. 12.

LIVIA AVG. Aquila I. 9. et 28. Canis praegnans I. 19. nam gravida Aug. nupsit. Anus elegans II. 2. re verâ talis. Iuno III. 18. hoc enim typo culta; atque ita in monumentis exprimitur, et ab auctoribus adpellatur. (Vide Gor. Columb. Liv., et Harduin. Opp. p. 706.) Minerva III. 17. ob sapientiam civilem.

MACRO. Musca III. 6. ob adulât. aulicam. Vitulus V. 9. quod esset in artibus dominationis imperitus.

NERO Germanici. Ex Dioscuris alter IV. 24. Vide sup., Drusus.

PHAEDRVS, sive Polybius Aug. lib. Quia de libertinâ plebe Agnus I. 1. III. 15. Ovis I. 16. Grus I. 8. quia natione Thrax. Mulier parturiens, quia

calamitosus I. 8. Canis I. 23. et 25. V. 10. quia domino fidus. Lupus martius, quia liberi spiritus III. 7. Idem quia summi pretii homo, at calamitate prostratus, Margarita in sterquilinio III. 12. Quia poeta, Apis III. 13. Importunus nugis detinens Aesopum occupatum, scil. Claudium, vel Eutychum III. 19. Mus retorridus IV. 1. Lima IV. 7. Amphora odora III. 1. Socrates III. 9. Hercules ob libertatem IV. 11. Simonides, quia fabulator IV. 21. et 24. Formica quia tenuis fortunae et abiectae IV. 23. item Asinus V. 4. et Rusticus cum Scurrà contendens V. 5. Vide, Asellius. Calvus V. 6. Vide, Claudius.

SEIANVS. Canis I. 4. et 27., erat enim in palatio adulator. Pulcra iuvenis, scil. cinaedus II. 2. Faeles, sive » aelos », quia nomine Aelius, item ob mores II. 4. Petulans III. 5. Libertus calumniator III. 10. Rana, I. 24. quia vilis et ortus ad lacum Volsiniensem, ut Cicero » Vlubrenses » dixit » ranunculos ». Cornix I. 3. II. 6. quia superbus, et malignus, et se principum (pavonum) gregi immiscuit. Persona tragica I. 7 quia Etruscus, labiosus, nec tamen deformis, sed immobili vultu. Passer I. 9. ob libidinem. Lupus I. 1. et 17. Asinus I. 11. Latro I. 23. Vulpes IV. 2. et 8. Dis pater, quia per munera et spem lucri iniectam factiosus IV. 11. Tibicen quia Etruscus V. 7.

SENECA. Coheres, V. prol., quia consors Phaedri in Stoicà domo.

SENTIVS SATVRNINVS. Consul, senex. Ideo senex asi-

gnum h. e. populum pascens I. 5.

SEX . MARIVS . Cervus; quia dives I. 12.

TERTINIVS fur, Vulpes I. 10.

TIB. NERO imp. Bos I. 24. Vulturius ob saevam avaritiam . I. 27. Hircus ob infandas libidines, et potentiam, IV. 8. Miluus, quia sordidus et callidus I. 31. Vir aetatis mediae II. 2. Noctua, quia moribus et oculis noctuinis III. 16. Draco ob avaritiam et principatum . IV. 19. Calvus V. 3. Saltator Bathyllus quia tibicine Seiano excitabatur V. 7. Homo cum manticis IV. 9. Prometheus, quia ebriosus . IV. 13. et 14. Homo alens colubrum Caligulam . IV. 17. Tignum, quia contemtor iniuriae I. 2. Pavo, quia pulcher, et superbus incessu, necnon Iunonis Liviae filius I. 3. III. 18. Leo . I. 5. II. 21. IV. 12. Vulpes ob vafritiem I. 26. Aquila ob imperium II. 4. 6. Accipiter cruentus I. 9. Paterfamilias, quia parcus. I. 22. et 23. III. 10.

VAL. ASIATICVS . Thraso V. 2. Venator audax II. 1.

VARIVS LIGVR . Homo canino morsu vulneratus, a delatore accusatus II. 3.

VONON I. Rex Parthorum . Cervus ob divitias, II. 8.

SECTIO II. Symbola generalia Personarum.

ACCVSATORES . v. Delatores .

AMICI . Capilli ex Oneirocriticâ vulgi ap. Artemidor., II. 2.

AVLA . Lectus puerperae, ob voluptatem ac dolorem. I. 18.

SECTIO III. Symbola Rerum.

Panis II. 3. Carnes I. 4. Hordeum V. 4.
FORTVNA inutilis. Pecten calvo V. 6.
GRATIA herilis, ex vulgari Oneirocritica ap. Artemidor., Aqua fluens, I. 1. 4. 20 25. IV. 3.
HONORES fluxi. Umbra carnis I. 4.
LIBIDINES. Agni humano capite III. 3. Figlina Promethei IV. 13. 14.
PERICVLVM. Fovea. I. 17. III. 2. IV. 8.
POESIS. mellificium. III. 13.
REFVGIVM. Ara. 1. 28.
TVMVLTVS. Fax ardens, I. 28.

SECTIO IIII. Symbola Novarum Fabularum.

Symbola Phaedri iusto opere exposui, titulumque feci: Phaedrus Historicus et Politicus.

Hac editione omnia, ut in lectulo Procrustis, decurtata sunt: sed tamen hoc praesto, cuilibet explicationi symbolorum gravissima adesse momenta. Novarum Fabularum Symbola peculiari opusculo enarrabimus. At heic, petentibus amicis, lubet quaedam innuere.

Fab. 1. Tiberii avaritia. Vide IV. 19. Tiberius Vulpes, I. 26. Comitatus palatinus Simius I. 20.

Fab. 2. Seianus carpitur, homo nequam, tacite iratus poetae.

Fab. 3. In Caligulam, qui sceptrum Iovi invidebat. IV. 10. Vide Chron. ad ann. 40.

Fab. 4. Livia barbatum vidit Tiberium h. e. potentem. Iulia moecha omnia cupiens, merito irrisa nihil obtinuit.

Fab. 5. In Asellium Sabinum. Vide heic sect. I. in Tiberius.

Fab. 6. In Tiberium simulatorem.

Fab. 7. Tiberius expertus fortunae vices, miser, avarus, luxuriae deditus. Vide IV. 10. et Tacitum Ann. VI. 6.

Fab. 8. In Caium Caligulam, cuius mores opponuntur singulis Pythiae monitis, quique monitori Macroni, quae Pythia, non obtemperavit. Philo de Legat. ad Caium. Vide V. 9.

Fab. 9. Caligula adfectavit gloriam ingenii. Suet. Cal. c. 34. 53.

Fab. 10. Cassius Chaerea. Vide Chron. an. XLI.

Fab. 11. In Liviam. Vide Scholia nostra.

Fab. 12. In Caium qui sub Tiberio patrefamilias ferociam suam, licet compressam, praemonstrabat,

Fab. 13. In Caligulam oratorem iactabundum. I. 13,

Fab. 14. In Eutychum, ut III. 12.

Fab. 15. In Liviam defuncti viri cultricem. Fuit enim impudica. Miles videtur Fufius Geminus. Tacit. An. V. 2. Amores puellarum Augustae captans (*aquam* v. Cic. Attic. 1. 26.) dominam tenuit,

Fab. 16. De imperio in Claudium nil tale cogitantem delato. II. 1.

Fab. 17. In Liviam, ut II. 2.

Fab. 18. Faeles Caligula, et socii. Vide III. 2. 4. 8. Gallus Tiberius. Vide I. 3. III. 18. et 12.

Fab. 19. Agrippina Scrofa, ut II. 4. Seianus Lupus, ut I. 1. et 17.

Fab. 20. In Tiberium, qui dictus Asper. Servus est auctor Herculaneum relegatus. Aesopus vicinus,

Claudius in villâ apud Pompeios.

Fab. 21. De se ipso Auctor.

Fab. 22. Rursus de se ipso Auctor.

Fab. 23. Corvus Caligula, ut I. 13., spes populi ludit, IV. 16., cui solebat adulari, III. 2.

Fab. 24. Dominus Tiberius I. 22. 23. III. 10. Pastor Seianus II. 8., III. 3. imminuit potentiam Agrippinae, quae Capella III. 15., IV. 15.

Fab. 25. Serpens Seianus, Lacerta Phaedrus, surculus Claudius. Innuit se in Pompeiano secessu, favente Claudio, inimicum effugisse.

Fab. 26. Cornix Q. Curtius. Vide Scholia. Saltem Seianus Cornix, ut I. 3. II. 6.

Fab. 27. Claudius loquitur de adulterio Messalinae, et Silii. Vide Fabellam de Speculo et Cochleâ in Coniect. de Vitâ Phaedri.

Fab. 28. Tiberius bubulcus, ut II. 8., Lepus Phaeder, Venator Seianus. Simulabat Tiberius, aut potentior quis alius, tueri Phaedrum, quem perditum cupiebat.

Fab. 29. Amores Claudii et Messalinae.

Fab. 30. In Castore tangit Tiberii adoptivum filium: Vide Schol. ad locum. Cetera conveniunt in delatores aetate Tiberii, ut II. 3.

Fab. 31. Vespa Seianus. Papilio Phaedrus.

Fab. 32. Terraneola Phaedrus. Vulpes Seianus, ut IV. 2. et 8. qui auctori obiecerat spem lucri, IV. 11.

CLAVIS CASSITTIANA EXPL. FEL

AMPLISSIMO EQVITI

CHR. GOTTL. HEYNE

PROF: VNIV. GOTTING.

Soc. Reg. Scient. Gotting. Sod. et Secr. Perp.

IO. ANT. CASSITTVS
S. P. D.

Tibi, Polyhistor egregie, quae vides parva in Phaedrum Scholia do, dico, dedico, optime de me deque his literis merenti quam lubentissimus. Ipsa enim praecipue in hoc scripsi, ut a severâ sententiâ Te dimoverem, cuius profecto metuenda est auctoritas, et sexcentos de facili pedarios posset adducere. Mihi vero visus sum videre in epistolâ Tuâ prudentiam illam dubitationis academicae, his de rebus pronuncianti magnopere

decoram. Doctissimi quique homines vetera exempla admirati a pueris, noviter detecta velut exotica ac peregrina fastidiunt. Qui falerni testam ebiberunt, si mox alteram notae eiusdem releveris, haerent, nescio quomodo suspiciosi pitissant, nec tam bonum poni subclamant. Neque alià de re Traguritanum Petronii fragmentum, quum primum adparuit, hostes reperit acerrimos Valesium et Wagenseilium. Nunc si quis venustissimam scriptionem abiudicaret auctori suo, rectà Anticyram navigare iuberetur. Nam quod de Nodotianis posset obiici, tralatitio dicterio repellimus: Aliter olent catuli, aliter sues. Codex Perottinus heic in Regià Bibliothecà servatur, studiosis quotidie quaerentibus expositus et patens, nec vero, ut ardelio iactat, sub serâ et clavi *custoditus. Eius Codicis meminere iamdiu Dorvillius, ac Burmannus, nuper etiam Andresius. Ca-*

ve ne suppositum librum suspiceris. Meâ fide, Vir summe, iubeo Te, et omnes, quotquot considetis iudices, omnino esse securos. Ego octo et quadraginta annis sine notâ peractis, ego stirpe ortus minime obscurâ, et a parente optimo institutus, pudori meo non consuluissem? Egon' liberis posterisque meis tristissimum stigma nomini inustum relinquerem? Mori hercle vero satius duxissem. Ac si apologos ego non feci, quia in vetere Perotti libro exstant, quis ergo fecit? Perottusne, an Phaeder? Sed Perottus fecisse non potuit metricae artis nescius, ut ex eius patet senariis, neque is plane homo latinissimus atque eruditissimus: qui si libellum tantae elegantiae composuisset, non inscripsisset mehercules Phaedri nomine ut operam oleumque perderet; sed se professus auctorem debita sibi laudis praemia captasset. Pervideras hoc, Vir Amplis-

f

sime , dum in alia omnia abiisti . Nam sententiae Tuae summa huc redit , nec Perottum nec Phaedrum fabulas fecisse videri , sed antiquum fortasse Phaedri aemulum , minus Phaedro valentem , tamen aliquo numero habendum . Vide , amabo , ne supplementa nostra Tuam religionem impulerint . Ea si abieceris , non despero , Phaedrum ipsum , quam pote ipsissimum , Tibi deprehensum iri . Et initio nolueram tesserulis tam ineptis insigne auctoris musivum devenustare . Nam quae tandem haec laus? Quam tenuis levisque labor? Quod si eo nomine me commendas , et hoc scio , ab humanitate insigni HEYNIVM *depraedicari . Digitis porro cum Phaedro me in tenebris micasse sentiebam , neque adsequutum quid sibi ille voluisset . Cotelerius ita explevit lacunas in Cyrilli anecdotis . Sancte adseverabant Critici , nihil verius , nihil melius fieri potuisse. Apographum tamen integrius a Montfauco-*

nio prolatum, ubi ne syllaba quidem Coteleriana reperta est, quales fuissent iudices declaravit. Quare, cl. HEYNE, *detractis quae mea sunt, nec Phaedri forsitan esse queunt, rursus, amabo, dispice, an reliqua genuina Phaedroque digna videantur. Futurum auguror, ut, pro eâ, quâ polles, in his videndis iudicii subtilitate, secundum adsertorem decernas. Deprehendes enim plura libello inesse, ad nostra usque tempora vel ignorata penitus, vel uni aut alteri ex doctissimis nota. Quis, nisi Phaedrus, vincto militi laevam tantum dedisset liberam?* (*Fab. X.* 10.) *Quis* partes facinoris *in re culinariâ hactenus recensuit?* (*XVIII.* 7.) *Quis posita stabula ad portas urbium docuit?* (*XVI.* 13.) *Quis homoeomeriam perquam ingeniose exposuit, ut habetur Fab. XXXI.? Accedunt singulares, et tamen venustissimae loquutiones, V.* 15. *VII.* 8. 12. 17. *IX,* 6. *X.* 3. 25. 29. *XI.* 2. 3. 11.

XII. 4. *XV.* 5. *XVI.* 27 29. 30. *XVII.* 3. 9. 11. *XIX.* 1. *XXI.* 6. *XXV.* 5. *XXVII.* 5. *XXX.* 7. *XXXI.* 6. *XXXII.* 1. *Mitto irrisionem Tiberioli et Graeculorum XXX.* 2. *totque alia mihi adnotata in Clavis Part. II. sect.* 4. *Sed Fabula XV, palmario argumento, libri au toritatem adfirmat. Narratur quippe illa etiam Petronio. Ego vero in Societate Pontaniana dissertationem peculiarem recitavi, quae mox prodibit,* actor. vol. 2., *ubi luculenter evici, auctorem Satyrici esse C. Canium Rufum, domo Gadibus, Martialis amicum. Atqui iste de Canio, III.* 20.

Aut aemularis improbi iocos Phaedri.
Quid clarius quam esse a Phaedri manu Apologum improbulum de Matroni et Milite, quem deinde aemulatus Canius ita ampliaverit, ut in Satyrico visitur?

Superest, pauca ut rescribam ad illa „ fabulae scil. Aesopeiae non satis perspectam

habuisse indolem, auctorem, quisquis fuerit, repertarum a me Fabularum. Et plane verissimum hoc experior in sex Fab. 3. 5. 6. 7. 22. *et* 30. : *reliquae enim vigintisex Aesopeiae sunt. Sed Fabula* 3. *promythium est longiusculum, cum quartá ferruminandum. Fabula pariter* 6. *epimythium est praecedentis. Solet quidem Phaedrus, huiusmodi adfabulationibus, quas vocant, paullo prolixioribus uti, quo modo in IV. f.* 1. *et* 10. *V. f.* 1. *Nostri vero libelli Fab.* 5. *inter Promethaeas referenda est. IV. f.*13. *et* 14. *Similiter Fab.* 7. *explicans Tartareos cruciatus, eiusdem generis habet V. f.* 8. *Denique Fabulae* 22. *et* 30. *de Vrsi et Fibri solertiá paene nihil habent mythici; sed quid tandem inest mythici Aesopeii in fabulis* 6. *et* 14. *libri IV.? Damus ergo, ultroque fatemur, severiores Aesopeii generis leges a Phaedro in hoc Auctario fuisse neglectas, dum vicissim tamen concedatur, libertate non minori in aliis*

omnibus fuisse usum . Ipse equidem profitetur in prol. lib. V. auctoritatis tantum gratiâ alicubi interposuisse Aesopi nomen, tamen uti se novis apologis , etc. Addit in prol. lib. III. pro Aesopi semitâ se viam fecisse , et plura cogitasse quam ille reliquerat . Videsis nostras Coniecturas de vitâ Phaedri p. 32.

Excipe ergo , magne HEYNE *, Germanicae gloriae columen in Minervae quinquertio , benigne , inquam , excipe amici properatum sic pede in uno xeniolum ; et retractatâ cognitione rem diiudica .*

Tuae prius sunt partes , aliorum dein ;
Similique gyro venient aliorum vices .
Decerne quod religio , quod patitur fides,
Et gratulari me fac iudicio tuo .

Bene vale . Dabam Neap. XI. Kal. Quintil.
CIↃIↃCCCXI.

PHAEDRI

FABVLA

DE CVLICE ET TAVRO

ex edit. Cassittianâ anni CIƆIƆCCCIII.

Culex quum Taurum provocasset viribus ,
Venerunt populi ut cernerent spectaculum.
Minatur Taurus multa. *Tunc parvus Culex,*
Satis, inquit, habeo quod venisti cominus :
Parvus par *tibi sum factus iudicio tuo .*
Heic se per auras sustulit pennâ levi ,
Lusitque turbam, et Tauri destituit minas .
Quod si fuisset validae cervicis memor ,
Pudendum Taurus *inimicum contemserat,*
Materia ineptae nec fuisset gloriae .
Sibi famam minuit qui se indignis comparat.

COMMENTARIVS.

Ne vacarent pagellae, hunc Apologum heic rursus proferre operae pretium duxi. Exstat verbis totidem in codice Batavo per Nilantium edito n. XXXVI., nisi quod tribus locis pauca verba adieci, ut opinor, necessaria. Ego CLXVIII. fabellas ex vetustis collectionibus prorsâ oratione scriptis in metrum redegi, et commentario perpetuo illustravi, sub tit. PHAEDRI RHAPSODIAE. *Speciminis loco hunc Apologum vulgavi, de quo, laudibus nos benignissime honestarunt auctores* Horrei Cyclopaedici Florentini vol. I., *dum heic Zoilus ringebatur.*

FABVLA DE CVLICE, *etc. Nescio cur hodie plerique recto casu inscribant personas in apologis inductas. Quod si hoc in comoediarum personis licet, scenae initio enunciandis, si denique et in dialogis, quisque videt supplendum verbum esse. Ex. gr.* SIMO: SOSIA. *suppl.* loquuntur. *Id autem in Apologis factitari non potest, ubi personae*

saepe non loquuntur. Ergo scribamus oportet: FABVLA DE, *etc. scil. narratio, sermo* de, *etc. Atque ipse Phaedrus noster aliter sentientes damnat, ubi scribit, IV. 1.* ,, FABELLAM adiiciam: DE MVSTELA ET MVRIBVS. ,, *Sane haec postrema verba in subiectae fabellae titulum cessisse arbitror.*

1. *viribus) Phaedrus ipse, ut puto, Iliad. v.* 1014. Luctando vincitur Aiax, Cuius decepit vires Laertius astu. *Et in fab. luctam intelligit.*

2. *populi) III.* 14. Concurrit populus. *Adde V.* 5.

3. *parvus Culex) V.* 3. *de muscâ*: Volucris parvula. *Notum epitaph. Virgil.* Parve Culex, pecudum custos tibi tale merenti.

4. *venisti) Eleganter de progrediente ad certamen. V.* 5. Venere artifices laudis ad certamina. *In Iliade v.* 223. Venisse ad bella Pelasgos. *v.* 228. Venientem reppulit hastâ. *v.* 438. Gladio venientem

Herpedona fundit. *Horat. de Sarmento et Cicerro I. serm.* 5. *v.* 56. Ad pugnam venere.

5. *par.*) *Geminationis artificio necessariam voculam extudimus. De sono suavi antiquis in repetendâ particulâ* PAR *dixi in schol. ad* Fab. 1. *Sententiam exprimit Seneca de Const. sap. cap.* 14. Facit se adversarium qui contendit, et ut vincat par fuit.

ib factus) *ut alibi I.* 14. *factum nobilem II.* 2. *factus calvus. IV.* 16. *factus sophus.*

ib. iudicio tuo) *IV.* 25. *Et gratulari me fac iudicio tuo.*

6. *Heic*) *I.* 11. Heic auritulus. *scil. Tunc. Similiter habes II.* 8. *v.* 5. 10. *v.* 6. *Vide Burm. ad I.* 14. *v.* 5.

ib. per auras) *II.* 6. Venit per auras Cornix. *Petron. B. Civ. c.* 132, pepulitque meatibus auras.

ib. se sustulit) *Ovid. Met. II.* 709. Heic se sustulerat paribus Caducifer alis.

ib. pennâ levi) *Seneca Oedip. v.* 390. Nec alta coeli pennâ quae levi secat. *Iliad. v.* 119. Levibusque per aera pennis Devolat.

7. *Lusitque*) *h. e. elusit. I.* 12. *de cervo.* Cursu levi Canes elusit. *Terent. Eun. IV.* 5. Cur hunc aliquantisper non ludo?

ib. destituit) *frustratus reliquit. Vide Serv. ad Virg. ecl. I. v.* 61. *Noster V.* 10. Non te destituit animus, sed vires meae.

8. *validae cervicis*) *Plin.* XI. 2. *considerato Culice, subdit.* Sed turrigeros elephantorum miramur humeros, taurorumque colla. *Avien. f.* 31. vastam *tauri cervicem dixit*, et immensam *f.* 38. *Columella R. R. lib. VI. c.* 20. (*Est tauro*) torosior cervix et ita vasta, ut sit maxima portio corporis. *Hinc validissima. Lucil. de tauris*: validis cervicibu' possunt.

9. *contemserat*) *Eleganter pro* contemsisset, *ut contra saepe Hirtius* fuisset *pro* fuerat. *B. Hisp. c.* 1. 11. 13. 19. 32.

35. *Marcellin. lib. XIX.* Persarum regem . . ni obstitisset violentior casus, in ipsis tentoriis obtruncarant.

10. *Materia*) *Divus Augustus ap. Sueton. Claud. cap.* 4. Praebenda materia deridendi. *Livius VI* 7. Hostis est quid aliud, quam perpetua materia virtutis, gloriaeque vestrae? *Paria habes ap. eumdem I.* 28. *IV.* 24. *etc. Ovid. V. Trist.* 5. Tristi materiam tempore laudis habet.

11. *Sibi*) *Gnomol. antiquus Gruteri.* Vt Culicem bos luca, muscas sic testudo negligit. *Martial. XII.* 62.

In tauros libyci fremunt leones:
Non sunt papilionibus molesti.

Ac sane me pudet fuisse molestum papilioni, *eiusque* clamores *excitasse*; *nam*, *si nescis*, *hodie* clamant *papiliones*, *praesertim qui de* barathro *nascuntur*. *Vide schol. ad Fab. XXXI.*

ib. indignis) *vilibus*, *infimae sortis hominibus*, *aut saltem minoribus*, *ut III.* 2. *v.* 3.

CASSITTI

PARVA SCHOLIA

IN XXXII. FABVLAS PHAEDRI NOVAS

FABVLA I.

V. 1. *M. S.* » Quam tibi impartiar parvam quamvis pa . . . » Itaque necessaria fuit traiectio. Nec veteribus ingratus creabatur sonus ex repetitione particulae PAR. *Ennius*. » Qui alteri exitium parat Eum scire oportet sibi paratum, pestem ut participet parem. *Virgil.* Et cantare pares, et respondere parati. *Livius* VI. 6. Parere atque imperare paratos. *Nepos Eumen.* Parem non esse paratis adversariis » Thersites irascitur, quod hunc senarium ita in editionibus exhibuerim, quasi de meo *parvam* supplessem, quum sit in libro. Aoti poenitet; sed errore peccavi: neque, ut videtur, tantos propterea fluctus oportuit in simpulo excitari.

FABVLA II.

v. 1. *Ludit*) *Prol. lib. IV.* » Dum nihil habemus maius calamo LVDIMVS. »

v. 2. *Nequitia*) Frugalitati opponitur. Vide Burm. *ad Petron. c.* 55. Ipsi sunt homines nequam, ut alibi malignitatem pro malignis, et heic Fab. XVI. aequalitatem pro aequalibus posuit.

ib. *pariter*) » V. 2. ferrum et linguam PARITER futilem. *Mox Fab. V.* PARITER duo signa intulit. »
2. *simpliciter*) III. 7. Canis SIMPLICITER. Vid. inf. Fab. X. v. 12.
ib. *tacite*) V. 1. » TACITE gementes. » P. Syrus » Invidia TACITE, sed inimice IRASCITVR ».

FABVLA III.

v. 1. *Arbitrio*) III. 18. » Fatorum ARBITRIO partes sunt vobis datae. »
2. *illa*) editor Perotti supplet » nam cetera » vel » nam cuncta. »
ib. *adtribuisset*) I. 7. » Fortuna TRIBVIT » ubi vide Hoogstrat. Vide et inf. Fab. IIII. v. 7
5. *leonis impetum*) I. 2. » LEONIS adfliguntur horrendo IMPETV. »
6. *Cornicis*) Vidit hoc editor serotinus; sed fidicule proponit alia » Phoenicis aevum, Corpus in aevum, Corpus ad aevum. » De Cornicis aevo vide inf. *Fab.* XXVI. Ac Momus calumniari pergit, quod in M. S. viderim *C.r.. cis*; quum ipse oculos cornicis se configere putans, legi arbitretur, *Corpus*. Sed in primo vol. dixerat legi *C.rpus*; nec vidit claram esse in libro extremam syllabam *cis*. Haec populus curat, scilicet! Si curaret haec, inscitam rusticamque superbiam probe retunderem.
ib. *gloriam*) gloriationem. *Superbus* dicitur Virg. *Georg.* III. 217. 226.

7. *mansuetudinem*) Virg. Aen. III. 544. ; ab hac dote equos laudat .

10. *homini*) M. S. *hominibus* . Editor Perotti tuetur proceleusmaticum mendosis exemplis . III 2. » Alii fustes congerunt Alii onerant saxis ; quidam contra miseriti » . Legendum suadeo . » Alii fuste conterunt , Alii onerant saxis ; quidam commiseriti . *Eod. lib.* III. 15. » Beneficium magnum sane natali dedit. *Traiicio* » Magnum natali. s. b. d. » vel » Natali sanem m. b. d. » . IIII. 10.
» Onustus qui sacrilegio quum discederet » . *Scribo* : » Qui onustus » . *Eod. lib.* IIII. 23. Super etiam iactas tegere quod debet pudor . » Legerem venustius ». Super et mi iactas .» De particulà *super* vide inf. *Fab.* X. 29.

12. *munere*) h. e. mente . Sed hanc homini tribuisse Minervam narrat Hygin. *fab.* 142.

ib. *invicti*) epith. Iovis . Horat. III. carm. 27. v. 73. Fortasse *inviti* ; neque enim superi lubenter hominem tali munere adfecerunt . Hygin. *Poet. Astr.* II. 15. Editor novitius *munus* expl. dotes et commoda , et Iovem *invictum* ait , quia sceptrum sibi extorqueri non patitur . Egregie , ut omnia .

13. *fatalis temporis* .) IIII. 10. FATORVM TEMPORE »

ib. *decurramus* III.) 20. » Vitam Tristem DECVRRIT . »

14. *mortalitas*) Imposita moriendi conditio ; vitae brevitas . Vide Ducker. *de Latinit. p.* 377. Vetus lapis ; Grut. p. 602. n. 6. , et Fleetvv. p. 188. n. 3. » Sertorius Q. L. Antiochus colonus pauper fuis

aequo animo . SCIBAT . MORIVNDVM . SIBI . »

FABVLA IIII.

v. 1. *quondam*) Editor serotinus vetat legi *quondam duae* ; quia videri posset mulieres quondam fuisse duas , deinceps unam , tres , vel plures . O mirificum ingenium ! Interim adnoto pulcherrime disseruisse *De Epiphaniâ deorum* cl. equitem Michaelem Arditum , dulce illud patriae et amicorum decus . Vide et Petron. c. 135.

2. *Sordido*) Horat. II. carm. 10. » caret obsoleti SORDIBVS tecti . »

3. *habebat filium*) III. 8. HABEBAT FILIAM . » inf. Fab. XIII. HABEBAT FILIVM . »

5. *referret*) II. 2. » Solet a despectis PAR REFERRI GRATIA . »

7. *videtis*) Cum iactatione promittit . Plaut. Trin. III. 3. » Nihil est quod vereare ; ME VIDE . »
ib. *tributum*) Sup. III. v. 3. Proprium de munere deorum , ut III. 18. Curt. III. 8. Tiberianus ap. Fulgentium *Myth.* III. 7.

ib. *protinus*) IIII. 18. » Namque ut refecta est , necuit hominem PROTINVS . »

9. *barbatum*) Sic Domitia , Neronis lanuginem tractans , aiebat . » Simul hanc excepero , mori volo . *Sueton.* Ner. c. 34. *S. Augustin.* Confess. II. 3. » Vbi me ille (*pater*) in balneis vidit pubescentem et inquietâ indutum adolescentiâ , quasi iam ex hoc in nepotes gestiret , gaudens matri (*Monnicae*) indica-

vit . *Legi posset* » inguina indutum » scil. quae nuda erant , aetas adulta velare coeperat . Pater blanditur filio in marmore Neapolitano Fleetvv. p. 363. n. 4.

QVI . BENE . CVM . INGENIO . FLOREBAS . BARBVLA . GRATA

Legendum arbitror . CVI h. c. i. FLORESAT . SARBVLA . Martial. VIIII. 77.

Creverat hic vultus bis denis fortior annis ,
Gaudebatque suas pingere barba genas ,
Et libata semel summos modo purpura cultus
Sparserat .

Restitue . » Et libata semel summos modo furfure cultros Sparserat . »

10. *sequatur*) Leo de parte praedae I. 9. » Me SEQVETVR tertia . »

12 *ciet*) I. 18. » gemitus CIENS . IIII. 33. » gemitus immanes CIENS . »

13. *Ideo*) M. S. *Id.* » Editor Perott. proponit . » Id forte , Id quum forte , Id meretrix . »

15. *Emungere*) Vidit hoc facillime editor Perott. Sed etiam proponit . » Ea tangens igitur se imprudens prendit manu . » Re veri pulcra est illa tactio dum se manu femina prehendit !

FABVLA V.

1. M. S. » Seculi novi figulus » . Ita etiam , quod pronum erat, emendavit Perottinus noster , ut fecimus . Deinde expilat lexica , ut probet seculo hic exprimi genus humanum , quod vel coecus viderit .

Hygin. fab. 142. » Prometheus PRIMVS HOMINEM EX LVTO FINXIT. » Hoc testimonium alia deliramenta adversarii exsufflat.

2. *Curâ*) Ridicule editor Perott. » Cretâ subtili. » Cnosiâ, opinor, aut Leucogeâ ad alicam.

3. *iura*) IIII. 12. » Sanctâ incorruptus IVRA REDDEBAT fide. » Narrat Diodor. I. 75. summum Aegypti magistratum collo pendentem gestasse Veritatis effigiem.

ib. *veritatem*) legendum ex M. S. » inter homines. » Nolenti error mihi excidit, nec sensum fundit, ut omnino errasse me scribentem agnoscas. Atqui Thersites idcirco mihi crimen intentat tertium ac postremum, quasi lectionem ineptissimam prudens sciensque mentitus fuerim.

5. *magni*) Iovis epith. IIII. 17. Horat. I. carm. 10., etc.

6. *fallaci Dolo*) Dolo malo, cui personam tribuit Valerius Flaccus lib. 2. In choro plutonio INSIDIAS numerat Petronius, cap. 124.

7. *accensus*) III. 16. ACCENSA *magis est*. Cicada scil. cantandi studio exstimulabatur, ut heic Dolus amore artis. Male *iratam* illam expl. Schefferus.

10. *Positum*) III. 16. » Aesopi ingentem statuam POSVERE Attici. Cur ingentem? Quia heros. Vide Mazoch *c Spicil. vol.* 2. *p.* 29. Horat. IIII. carm. 8. » Solers nunc hominem PONERE, nunc deum. »

12. *Rediit*) M. S. habet. » Redit Magister, quo festinante Dolus. » Editor nuperus. » Rediit magister, festinante quo Dolus. » Sed Prometheus plerumque non festinabat. Vide IIII. 14. Immo disci-

pulus festinabat ex metu. Vel potius legito. » Rediit magister; quare festinans Dolus. » Festinans etiam potuit adpellari, quia in opere festinaverat. Severus in Aetnâ:

» Fabriles operae rudibus contendere massis
» FESTINANT.

Lego » tudibus contundere massas. »

ib. *magister*) officinae praeses. Iuvenal· VI. 26. Gell. I. 13.

13. *turbatus*) IIII. 17. » TVRBATOS adtrahit. »

ib. *suo loco*) Sellularii opifices in fabrili officinâ suo quisque loco sellam habebant. Puto hoc vocatum artisellium Petronio, c. 75.

14. *Mirans*) I. 12. » MIRANS laudat. Adde, V. 1. » admiratus ingenium.

15. *voluit videri*) II. 2. » VOLVNT VIDERI pares ». Voluit ostentatam et notam gloriam artis suae.

ib. *artis gloriam*) Parrhasius dicitur Plin. XXXV. 10. arroganter usus ARTIS GLORIA. Adde XXXIIII. 1. » Quaestus caussâ (Statuaria) exerceri coepta est, quae GLORIAE solebat. »

16. *Igitur*) Initio commatis I. 25.

17. *percoctis*) Vox peculiaris fornacario et figulo. Plin. XXXIIII. 11. » Figlinum PERCOQVATVR. Idem cap. 23. » Vasa PERCOQVANTVR.

18. *modesto gressu*) Veritas » gressu modesto incedens » describitur Hippocrati epist. XV. ad Philopoemenon. Rinutius vertebat » molli blanditiâ » perperam. Hunc Rinutium, quem Rimitium, Remicium, etc. vocant, comperi tandem ortum Castilio-

ne Aretino, floruisse XV. saeculo, et fuisse Laur. Vallae praeceptorem, Nicolao V. ab epistolis. Graecos ex Hellenico itinere codices trecentos Venetias advexit. Vide Ambros. Camaldul. XV. epist. I., xvI. ep. 10., qui narrat dicere solitum » se apud Graecos quam in patriâ vivere malle. » Hinc et alicubi Thessalus nominatur. Imitatus est scil. Leontium Pilatum, de quo Franc. Petrarca Senil. III. ep. 6., XI. ep. 11. » Leontius noster, vere Calaber, sed, ut ipse vult, THESSALVS, quasi nobilius sit Graecum esse quam Italum. » En tibi aliquando quis fuerit Remicius Aesopi paraphrastes, de quo Nilantius, Quirinus, Zenus, Fabricius, aliique sexcenti nihil extricarunt.

ib. *sancta*) Noster alibi dixit sanctam Mnemosynem, Religionem, sanctum Herculem. Sic IIII. 12. » Sanctâ incorruptus iura reddebat fide. » Vulgo » incorrupta » Sed index dici debuit incorruptus, non leges, et edicta. Nec iura sancta aliud quam sancita. Neque unquam fides antiquis nominatur, quin dicatur SANCTA. Catull. carm. 74. P. Syrus v. 935. Silius lib. 2. Vet. Poeta Antholog. class. IIII. ep. 30. HAEC EST SANCTA FIDES.

19. *haesit*) De thermopylis Seneca. Benef. vI. 31. » HAERERVNT IN VESTIGIO fixi, et commissas sibi angustias tuebuntur. »

20. *operis*) statuae. Sic accipitur » OPVS novum » in prol lib. V.

21. 22.) Supplet editor Perotti :

» Mendacium adpellatum est , quod neget
» Pedes habere , facile ipse consentio . »

Ego vero nego pernego editori esse cerebellum , et pedes habere senarium priorem, ut facile quivis consentiet ; immo et aio claudicare secundum . Sed miraberis fecunditatem ingenii Claudiani. Supplet enim mille modis . » Quod negat deus , Quod fatum neget , Quod negat modo , Quod nequiverit , Quod nequeat pedes . Facile ipse id consentio , Et ipsa hominum consensio , Facile queis consisteret , Facile quibus et ipsa incederet . » Quid sibi velit , aeque cum ignaris scio ; nisi forte delirarit miser . Vide modo quis sit , qui decus Regiae Bibliothecae vindicasse se putat !

22. *futile*) quod stare non potest . Tale vas illud in Vestae sacro usurpatum , ore lato , fundo angusto , quod sine piaculo in terrâ non poterat poni . Hoc inter numos a cl. equite Franc. Avellinio editos repraesentatum vidi , ubi parte aliâ numismatis globus arae insidet; quae quidem ipsa est Vesta orbis terrae simulacro expressa , auctore Pompeio Festo . Oedipo cuipiam docti homines explicandum numulum commiserant .

FABVLA VI.

1. *Simulata*) h. c. dissimulata . V. Iustinum , XXI. 5. Nugator expl. vitia, quae virtutes effingunt, quae virtutis species habent. Et addit hanc esse vocis potestatem . Nescit quid sit Latinis *simulare*, quod-

que aliquando *dissimulationem* significet, de quo Reitzius in Ambiguis.

2. *adparet*) IV. 24. » Adparebunt tempore.

FABVLA VII.

2. *Adversus*) Aperte imitatur Lucretium lib. III.

6. *ostendit*) M. S. » Ostendit hominum sine fine miserias. » Perottinus editor haec tentat. » Ostendit hominum ullo s. f. m. Sine fine miseras vices. Ostendit ambitus s. f. m. » Nihil vidi infelicius.

8. *quod . . . describ.*) In hoc quod. Pariter II. 4. » Nam fodere terram QVOD vides quotidie Aprum insidiosum, quercum VVLT evertere. I. 21. » Te, naturae dedecus, QVOD ferre certe cogor, bis videor mori. » Heic legerem » morte cogor. » Certe » heic plerique exponunt sine dubio; at nullo sensu, et parum latine.

8. *circumfluit*) Seneca ad Polyb. c. 28. » Circumfusis bonis caruisse. »

10. *scelestae*) De ipsis Horat. III. carm. II. SCELESTAS Falle sorores. » Male editor serotinus corrumpere vellet a se agnitam scripturam, et aquas nescio quas proponere scelestas.

11. *pertusa*) Rursus imitatur Lucretium, lib. III.

12. *imo*) scil. fundo. Horat. de dolio Danaidum canens vocem usurpat » fundo imo. »

ib. *perfluit*) Lucret. in fab. Danaidum citati.
» Et non omnia pertusum congesta quasi in vas
» Commoda PERFLVXERE.

13. *Novem*) Homer. Odyss. xI. 575. Virg. Aen. vI. 595. Hygin. fab. 55.

14. *Tristi.*) M. S. » Tristis renatum suggerens pene iecur. » In trib. edit. legi, ut oportuit. Vir doctus heri natus fingit se emendare quomodo exhibui.

ib. *renatum*). Hac voce utuntur de iecinore Tityi loquentes Virg. l. cit., Ovid. Pont. I. 2., Claudian. Gigantom, v. 25. Hygin. Poet. Astr. iI. 15.

15. *quo quis*) M. S. » quo quisque. Emendavi, ut vides, in trib. edit. Ita se emendare profitetur strenuus noster Perottini libri et lexicorum exscriptor.

ib. *terrae locum*) agrum. Vide Ducker. de Latinit. Vet. ICtor. p. 81. LOCVS eleganter hoc sensu veteribus dicebatur. Consule Plinium xvIII. 3. Glossarium nostrum M. S. » LOCVPLES multa loca possidens, dives, idoneus. »

17. *involvit*) Vig. Aen. vI. 99. » Obscuris vera INVOLVENS. Phaedr. ipse IIII. 6. » Quae saevum ingenium variis INVOLVENS modis » scil. dolis. Bene Burmannus reprehendit Heinsium, qui maluerat » evolvens. Pro certo habeo cognovisse auctorem Eleusinae Cereris mysteria, ubi detectas fuisse fabulas de Tartaro et Elysio probat egregie Warburtonus. De divinâ missione Mosis, iI. 4.

18. *erraret*) fort. » ne erraret ». Rudes his terriculis in rectâ semitâ continebantur; sapientes penitius rem ipsam intelligebant, purique manebant sceleris, non tamen ob fabulas, sed ne tormenta pectoris paterentur.

3. Editor postremus supplet . » Quid ô ; sacratae vatis . Quid modo . Quum modo , Quando sacr. » Nostrum QVAESO ID praestat , nisi fallor , adsertore Virgilio , Aen. III. 357.

» His Vatem adgredior dictis , ac TALIA QVAESO :
» Troiugena interpres divûm , qui numina Phoebi,
» Qui tripodas , Clarii lauros, qui sidera sentis ...
» Fare , age .

ib. *horrescunt*) De Sibylla Virg. Aen. vI. 47. » Non comtae mansere comae .

4. *tripodes*) Non quidem tripus cui Phoebas insidebat , licet motum nihil vetat , sed et alii a tholo dependentes inter anathemata . Vide Senecam Med. 785. Anno 1783. in diar. encycl. Neap. argenteum numum Crotoniatarum inlustravi , in quo tripus cum lauri ramo Pythagoram ab ipsis cultum sub nomine Apollinis denotat .

ib. *Religio*) IIII. 10. » Repente vocem sancta misit Religio . *Burm.* comm. novo » Religio est Iovis statua » Atque heic Phoebi . Seneca Thyest.

Laxantur adyto fata , et immugit specus .

Virg. Aen. vI. 96. » Talibus ex adyto dictis Cumaea Sibylla

» Horrendas canit ambages , antroque remugit .

5. *Tremuntque*) Tremor tripodum et lauri omen fuit praesentis dei . Hinc Virgilius , Aen. III. 350. , narrat vatem Helenum ex tripodibus et lauris omina persensisse ; quem locum Servius et alii male expli-

eant. De lauri tremore vide ipsum Virgilium Aen. III. 91. Sed nota omnia.

6. *resolvit*) Recte Perottinus editor ita etiam supplet, citatis Virg. Aen. III. v. 457., et Seneca Thyest. v 69. Pythia, premente Phoebo, linguam prius devinctam habuerat. Virgilius ipse de Apolline V. 79. » Tanto magis ille fatigat Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo. » Optime os rabidum Sybillae commemorat, quia spumans, ut cani rabidae, fuerat. Vide Scholiast. Aristoph. Plut. I. v. 59.

ib. *Pythia*) M. S. Phyton.

7. *monitus*) II. 6. » Aquila MONITIS paruit. »

8. *Pietatem*) in deos, IIII. 10. » Excolit PIETAS deos »

12. *ite obviam*) Sic leo hostem cominus invadit. Ovid. Halieut. v. 52. » Proditor atque sui ». Male vulgo » Prodidit.

13.) M. S. » Delicta vindicate, castigate impios. » Defendit inconditos numeros novitius editor, his verbis. » Maxime animadvertendum puto, hunc versiculum, non in auctoris, sed in Pythiae ore poni. Pythia autem veluti ex sacro more non elegantes et elaboratos, sed inconditos, graviterque in metra peccantes versiculos fundebat . . . Quod ideo verisimilius mihi videtur, quod integrum revera oraculum parum elaboratum ac elegans est, multumque sane cultu et numero a prioribus fabellae versiculis distat. » Haec ille. Quantum sapiat cernite, qui parum elegantem Phaedrum, et Pythiam latine loquutam putat!

14. *turpi stupro*) nempe adulterio. Vide Ducker. de Latin. p. 122. » Noster quoque III. 10. » Ventitare adulterum STVPROQVE TVRPI pollui famam domus. » Imitatur Horatium IIII. carm. 5. » Nullis polluitur casta domus stupris. »

15. *credite*) III. 10. » Periculosum est credere. CONCIDIT casu gravi.

16. *concidit*)

ib. *perdidit*) Cecinit surdis. I. 25. » Consilia qui dant prava cautis hominibus, Et perdunt operam, et deridentur turpiter.

FABVLA VIIII.

4.) M. S. » Numquid, inquit, sum tibi visus superb. . . » Inepte homo meus » Numquid, ait, sum tibi visus superbiens. Numquid, tibi, inquit, visus sum superbior. » Tandem in alia edit. » Numquid, ait, sum tibi visus superbior. » o dura lectorum ilia!

ib. *superbior*) Familiaris Phaedro elegantia. Vide ad Fab. XVIIII. v. 6.

6. *confectus*) prostratus, ac paene occisus. I. 4. » Morbo CONFECTVS gravi. » Horat. ad garrulum » CONFICE. » lib. 1. serm. 9.

8. *continget*) IIII. 23. » Quid horum simile TIBI CONTINGIT, rustica?

FABVLA X.

1. *vasti corp.*) I. 5. » Cervum VASTI CORPORIS » . Talem cinaedum ingentem in domo Quartillae describit Petronius. Ardelio emendat » vesci corporis » quia cinaedos graciles oportet esse. Deinde ex Plin. VII. 20. Tritanum hunc Pompeii militem vocatum docet. Atqui Plinius narrat gladiatorem fuisse Tritanum, vesco quidem corpore, sed eximiis viribus. Addit filium Tritani illius gladiatoris sub Pompeio militasse, nec vasto an vesco fuerit corpore tradit. Thersites gladiatorem cum milite, patrem cum filio confundit miro quidem acumine, et sermonis peritiâ.

2. *fracte*) Vox *fracta* plenae, integrae, ac virili opponitur. Ea est, quae mulierculis et puerulis delicato quodam flexu ducitur, atque hemitonio flebili saepe interciditur. Claudianus in Eutrop.I. 261. » Verbisque sonat plorabile quiddam » h. e. Usque ad mollitiem fractis ». Sed Momus fracte et molliter loqui ait, qui » vocem varie inflectunt, perque varios tonos dividunt, et frangunt, quo placeat » Lucret. V. » Almae nutricis blanda atque infracta loquela. Iuven. II. 111. » fracta voce loquendi ». De Chaereâ tribuno Seneca in Const. Sap. c. 18. » Sermo, non pro manu erat, sed languidus sono et infractâ voce suspectior » . Atque hunc tribunum, ut alibi, heic designabat Phaedrus.

ib. *mollius*) Similem cinaedum habes V. 1. et ap. Petron. c. 126. De molli incessu Propert., II. 2, Macrob. II. Saturn. 9. Vide Heinecc. De ince-

su animi indice cap. 2. §. 13., et inf. ad Fab. xvi. v. 15.

3. *traxerat*) Iuven. xI. 23. » A censu FAMAM TRAHIT.

4. *venientes*) scil. Insidias nocte struens mulos avertit cum auro venientes. Scriptor Biblioth. habet » iumentis ». Error facilis.

5. *argenti*) Caesar, B. Civ. III. 96. » In castris Pompeii videre licuit triclinia strata, MAGNUM ARGENTI PONDVS expositum. » Virg. Aen. I. 363. » Thesauros, ignotum argenti pondus et auri. »

6. *distulit*) M.S. » dissipat; sed mox recurrit eadem vox in fine senarii. Dedimus in edit. principe *distulit*. Novitius editor hanc emendationem sibi venisse in mentem fingit. Terent. Heaut. Prol. v. 16. » Nam quod RVMORES DISTVLERVNT malevoli » ubi Dacieria Lucilii et Varronis auctoritate loquutionis elegantiam tuetur. Mendosus est locus Phaedri mei IIII. 17., quem ita lego.

» Post aliquod tempus alios adscribi iubent
» Legatos. Rumor superiora prodidit.

7. *arguitur*) I. 10. » Lupus ARGVEBAT Vulpem furti crimine ». Rinutius, quem Rimicium vocitant, locum exponit » Lupus ACCVSABAT. Item. III. 10. Fortunae, stulte, delictum ARGVIS. »

ib. *praetorium*) Cave tabernaculum accipias. Conventum heic significat coram duce. Vide Lips. Milit. Rom. V. 2. »

8. *quid ais?*) Formulam servat Livius VIIII. 32. RESPONDE. Iulianus L. 13. §. 3. D. de reb. dub. »

Eorum quid, quae obiiciuntur, fecisti »? Adde Evangelia Matth. xxvII. 13. Luc. xv. 4. et Act. Apost. xxv. 10. Vide inf. Fab. xxvIII. 12.

ib. *commilito*) Blanda compellatio. Iulius Caesar » nec MILITES pro concione, sed blandiori nomine COMMILITONES adpellabat. Suet. Iul. c. 67. » Id Augusto non placuit. Idem, Aug. c. 15.

9. *spoliare*) II. 7. » SPOLIATVS autem casus quum fleret suos.

10. *sinistram*) Recte; nam dextera cinaedi impedita erat, et sinistrae custodis commilitonis adligata; quem morem servatum in militaribus custodiis docet Seneca de Tranquill. I. 10. Adde Lips. ad Tacit. Ann. III. p. 206. Nunc, an potuerit Perottus haec scire, cogitabis.

ib. *sputum*) Manus etiam oculis supponebant, et imprecabantur ut exciderent, si quid mentiri contingeret: Propert. I. eleg. 15. v. 33. Vid. inf. Fab. xxvIII. v. 15.

ib. *dissipat*) Editor serotinus emend. » disiicit. Retine optimam codicis lectionem. Dissipare est a veteri sipare h. c. » iacere, et disiicere. Festus v. prosapia. Quum iuberent granum gallinis in cibatum dispergi, aiebant » obsipa pullis escam. Idem v. insipere. Plaut. Cistell. II. 3. v. 37. » Obsipat Aqualam. » Vossius et Martinius siphonem dictum putant, quia sipat aquam. Cacula obgannit non expendere nos verborum proprietatem.

11. *exstillescant*) Castrense et rusticanum verbum, quod facete Pompeius irridet v. 32. Gramm. anti-

gnus in Sylloge Gothofr. col. 1360. » EXSTILLARI est ipsum corpus guttatim finiri ». Alia ex Lexicis habet malus editor, ut solet.

12. *simplicis*) Pompeius, de quo Cic. ad Fam, VIII. 1. » Neque tantum valet ingenio, ut non adpareat quid cupiat. » Velleius II. 29. » Civis in togâ modestissimus, amicitiarum tenax, iu offensis exorabilis, in reconciliandâ gratiâ fidelissimus, in accipiendâ satisfactione facillimus, potentiâ suâ numquam, aut raro ad impotentiam usus, paene omnium vitiorum expers » Fateor tamen Ciceronem alibi aliter, et Velleium, quia Neapolitanus civis, Pompejanum fuisse animo. Saltem illud ex Tullio concedas oportet, etiam quum simulare vellet, non potuisse. Militaribus decori fuit simplicitas. Velleius II. 125. de Dolabellâ imperatore » Dolabella quoque, VIA SIMPLICITATIS generosissimae. » Vetus inedita inscriptio detecta Ventecani in Hirpinis meis.

D. M
C. CELLI. GER
MANI. SYRI
VETERANI
HOM. SIMP
VETTIA. IVLIA
NE. VXOR. ET
CELLIA. IVLIA
NE. FILIA
B. M. F

Alia inscriptio Neapolitana, Fleetvv. p. 230. n. 1. EVPHRATI .... HOMINI SIMPLICISSIMO. Commendatur

simplicitas militaris, L. 1. pr. D. de testam. mil., et L. 3. C. eod. tit.

14.) Haec ita supplet, et sine ullo sensu susque deque miscet Perottinus editor.

» Id dedecus castrorum propelli iubet,
» Nec cadere in illum credit tantam audaciam.
» Bellum forte intercessit, et fidens manu
» Voce fera nostros provocabat barbarus.

Mox quoque tentavit: » Forte intercessit praelium etc. Horrendà voce etc. » Haec adduxisse, refutare est.

ib. *suspic. propelli*) III. 10. v. 42. » Qui postquam tenebras dispulit calumniae. I. 1. Repulsus ille veritatis viribus. II. epil. Querelam submovet felicitas. Inf. Fab. XI. v. 2. Non repulit Venus. » Quae quidem loquutiones pulcherrimae lectionem nostram satis commendant. Propellimus suspicionem, h. e. amovemus, amolimur, quia suspicio nos deprimit, ut auctor loquitur III. 10.

15. *fidens manu.*) Codex m. s. » manu fidens.

16. *provocabat*) Iliad. v. 578. » Graiorumque duces invictis provocat armis ». Fabula alia Phaedri de Culice et Tauro » Culex quum Taurum provocasset viribus » h. e lucta. Certamen simile ex Q. Quadrigario exhibet Gellius, IIII. 13.

17. *sibi*) Ego post » metuit » in edit. principe intruseram » et ». Editor novissimus ita se emendare fingit. Subveniremus versui, si pro » mussant » legamus » mussitant ». Sed praestat secundam in » sibi » producere.

19.) Cunctator noster ita restituit rem.

» Tamen is cinaedus habitu, sed Mars viribus
» Adit sedentem pro tribunali Ducem,
» Et voce molli, Licet?

Ita non potuit oblivisci scholae suae puerulos, quum sedentem pro tribunali grammatico adibant, ut eos ad sellam patroclianam dimitteret, voce molli dicentes, Licet?

ib. *voce molli*) De matronis Plautus Poen. prol. v. 32. » Tacite rideant: Canorâ heic voce suâ tinnire temperent. Mallem » C. h. v. subtinnire temperent.

20. *enimvero*) M. S. » Enimvero eiici Virum V... m. . ra atroci ». Bis Perottus scripserat » virum ». Quare emendavi, ut vides. Elegantissime heic ENIMVERO, ut IF. 5. v. 21.

ib. *eiici*) Militiâ scil. Immo potius protrudi foras, ut V. 7, Ita legati cynicae reip. fustibus propulsi, IIII. 17.

21. *Virum*) Editor Perotti rescribit » Vt in re atroci!

22. *ex amicis*) II. 9. » E populo nescio quis » II. 19. Quidam E turbâ ». Inf. Fab. xx. v. 2. » Notus E viciniâ ». Legendum quoque I. 31., E reliquis tunc una ». Amici sunt comites, quorum cohors duces ac magistratus in provinciam sequebatur, et ipsis in consilio aderat. Vide Horat. I. ep. 8. II. ep. 2., etc.

ib. *principis*) Pompeii, qui princeps civitatis, ut vocat Cic. Attic. IIII. 5., et passim alibi.

23. *committi*) Cic. Attic. X. 2. » FORTVNAE sunt COMMITTENDA omnia ».

24. *iocus*) Ita memini bis vidisse in codice, et frater quoque meus adseverat se legisse. Nunc Perotti editor scribit *levis*, errore ductus omnino. Facile enim in scripturâ evanidâ accepit *i* pro *l*, necnon *o* pro *e*, ac denique in proclivi fuit, ut ex syllaba *cus* faceret *vis*. Sed germana et venustissima est, quam dedimus, lectio. Noster I. 21. » Ignavis etiam IOCVS est. Horat. II. serm. 5. » Ne quid tu perdas, neu sis IOCVS. Petron. c. 57. » Spero me sic vivere, ut nemini IOCVS sim.

28. *abscidit*) Editor nuperus vellet refingere » hosti recidit »; sed Apolline laevo.

29. *super*), h. e. his de caussis, vel potius „ de his. Virg. Aen. II. 349. » Incipio SVPER HIS » ubi vide Servium. Male exponit Burm. comm. novo ad IV. 23. v. 17

30. *Coronâ*) Aureâ librali. Lips. Mil. Rom. V. 17. Sic et Quintius dictator aureâ coronâ Manlium donavit, quod in simili certamine barbarum occidisset. Livius VII. 6. Adde de L. Dentato Plin. H. N. VII. 28. Inscriptio vetus in Mus. Veron. p. 218. n. 2. » L. GAVIO . . . DONIS DONATO A DIVO CLAVDIO BELLO BRITANNICO TORQVIBVS ARMILLIS PHALERIS CORONA AVREA.

ib. *te dono*) Formula. » Imperator te donat. » Val. Max. VIII. 14. » Te anulo dono ». Cic. Verr. III. 80.

34. *abstulisti*) I. 5. » Sic totam praedam sola improbitas abstulit.

FABVLA XI.

Sub Iunone latet Livia : (Vide Gor. Columb. Liv. p. XXIII.) sub Venere Iulia, ut in numis. De gallinis Liviae Plin. X. 55. XV. 30. Suet. Tib. c. 14. Et quidem in domo Augusti deorum dearumque habitu discumbendi mos erat. Suet. Aug. c. 70. Gallina Lesbidem significat, h. e. tribadem, frictricem. Vide Pier. Hierogl. XXIV. p. 240. Virilem animum Liviae describunt Tacit. Ann. IV. 57. Suet. Tib. c. 50. Hinc VLYSSES STOLATVS ipsa dicebatur. Suet. Calig c. 23. Castitatis gloriam adfectavit (Tacit. Ann. V. 1.), non tamen consequuta. ibid. c. 2., Dio lib. LIV. Suet. Claud. c. 1. Itaque a Iulià irrisa est.

2. *repulit*) M.S. » repellit ». Editor Perotti emendat. » Iucunditatis caussam non repulit ». Sed Romulus habet » iocandi caussâ. » Itaque retineo codicis lectionem. Non repulit Venus Iunonem: scil. non confutavit, elegantissime, ut in I. 1. v. 9. Hoc veró fecit » incunditatis caussâ », ut iucunda exsisteret Iunoni, et circumstantibus.

3. *adfirmaret*) Optime ; h. e. » adprobaret, confirmaret, magis magisque evinceret ». Vide, I. 17. v. 5.

ib. *parem*) Iunoni in castitate parem. Ita et II. 2. » Ambae videri dum volunt illi pares » scil. in aetate, de quâ ibi negotium. Ergo IV. 15. » Pares dum non sint vestrae fortitudinis. Malo » fortitudini.

4. *interrogasse*) Vocem integram servavit Romulus.

5. *satiari cibo*) III. 7. » Et otiosum largo satiari cibo . »

6. *dederis*) proprie de cibariis , quae offeruntur animalibus . III. 2. , et 7. Columella VIII. 4. » Gallinis dantur excreta tritici minuta . »

7. *aliquid*) quid minimum rei . IV. 2. » Languentis aevi dum sunt aliquae reliquiae » . Adde II. prol. v. 9. IV. 25. v. 5. Terent. Andr. II. 1. » fiet aliquid ... Hoc aliquid nihil est » . Florus III. 3. » Vt aliquid sibi terrae daret » . Ardelio meus exponit » per aliquod tempus .

ib. *scalpere*) Dicuntur et gallinae ruspari , ruspinare , scalpurire , corruspari , radere ; scabere . Lepide Plautus Pseud. I. 1. ait illas » scribere . Ita escam quaerunt , ut credidit Noster III. 12. , vel potius lapillos ad escam conterendam .

8. *modius*) I. 16. » Ovem rogabat Cervus modium tritici » Modius pendebat libras XXXII , ut ex Moreti antiquo poematio colligimus , quidquid Philander , Latinius , aliique putent .

10. *ex toto*) in totum . Elegans loquutio familiaris Ciceroni , Plinio , Senecae , et aliis . Ardelio » denique , vel » ne plura addam » . Quae adfert exempla ipsum iugulant.

11. *tum denique*) I. 14. » Tum demum . »

ib. *naturae malum*) Non intelligit Schefferus » mala nequitiae » in lib. III. 8. Ibi » forma » est munus naturae ; at contra corruptela vitiorum ab homine procedens » malum est nequitiae » . Sic et Iu-

venali s opponit XIV. 215. » naturae medullas , nempe hominis intima , ut a naturâ habemus ; et » mala nequitiae ». Verba sunt .

» Parcendum est teneris . Nondum implevere medullas
» Naturae ; mala nequitiae .

12. *licet*) IV. 20. » Licet dissimulet , pulcre tamen intelligo .

ib. *horreum*) Plaut. Men. prol. v. 15. » Non modio neque trimodio , verum ipso horreo . »

13. *ioco*) M. S. » iocos » . Sed non irrisit iocum dea . Risit ob iocum .

ib. *feminas*) Sirenes puellae in gallinas inferne desinebant; Lycophr. v. 731. , (qui toto saeculo post Platonem vixit , unde fallitur Vir cetera doctus Vetranus, de Sebetho p. 109.) . In veteri adagio » Gallina cantat » materfamilias venit sub Gallinae vocabulo .

FABULA XII.

4. *fervidâ*) Editor Perotti scriptum vellet » fervidam adolescentiam » Sed expono potius a saevo iuvene per fervorem aetatis familiam fuisse » exercitam » h. e. divexatam . Terent. Adelph. IV. 2. » Ego te exercebo hodie , ut dignus es » . Virg. Georg. IV. 453. » Non te nullius exercent numinis irae .

5. *Aesopus* : . *hoc*) I. 6. » Aesopus et continuo narrare incipit » . Hoc , scil. hoc exemplum . III. 10. Hoc admonere simplices etiam potest . I. 14.

Hoc pertinere vere ad illos dixerim. Aperte exemplum additur, I. 3., II. Prol. 1., et fab. 2. v. 2. Apologus vocatur etiam RES » I. 13. et 27. V. prol. ib. *breviter Seni*) I. 10. » Hoc adtestatur brevis Aesopi fabula.

6. *quidam*) Gudius ad I. prol. pag. 6. » Illud QVIDAM proprium in eiusmodi fabulis Phaedri est ».

ib. *adiungebat*) Varro R. R., I. 20. » Tironem cum veterano bove adiungat.

8. *vires languidas*) III. 9. » At illa vires ut refecit languidas ». IV. 25. » Languentis aevi. V. 10. » Languere coepit annis iam gravantibus ». Ita lego ex cod. Brantii.

10. *iungo*) Romulus ». Non ut laboretis, vos iungo. » Male Perottinus exscriptor supplet » facio ».

ib. *istum*) III. 6. » Sed istum times. I. 1. » Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi Istam bibenti »? ubi vide Burm. comm. nov. Sic et III. 8. » Tu faciem ut istam moribus pingas bonis » (ita lego).

11. *debiles*) Maecenas ap. Senecam epist. 101. » Debilem facito manu, Debilem pede, coxâ ».

12. *detines*) M. S. „ retines „ Editor vitiosam lectionem retinuit. Plautus Cist. II. 1. » Pater apud villam detinuit me hos dies ».

13. *Et saevum ing.*) IV. 6. » Quae saevum ingenium variis involvens modis ». Male editor novitius » Eiusque ingenium ».

14. *Vide ne*) III. 6. » Vide, ne dolone collum compungam tibi.

FABVLA XIII.

1 *forte*) I. 7. » Personam tragicam forte Vulpes viderat » . Secunda producitur syllaba , neque opus traiectione » victorem forte »

2. *esse*) Posses quoque legere : » Iactantiorem postquam vidisset Sophus » ut III. 1. v. 4., et alibi.

ib. *Sophus*) M. S. » Esopus » . Ita etiam III. 14. » Tunc victor Sophus » ; ubi et Perottus scripsit » Esopus » . Sed clarissimus editor Perottinus » Iactantiorem quum vidisset VIR SOPHVS , vel , PHRYX SOPHVS , vel , PHRYX SENEX » . O lepidum capitulum ! Nuper legebat » quum vidisset Philosophus » . Plaudite .

3. *humeris*) Putat editor in codice fuisse » suus » . Itaque scribit » Interrogavit an plus adversarius Valuisset eius » vel » Suus valuisset » . Sed ampli humeri vires pugilum ostendebant . Virgil. Aen. V. 376. » Ostenditque humeros latos .

5. *multo maiores*) II. 5. » Multo maiores alapae mecum veneunt » . Sic lego , et acerbum est ex Tiberiano ingenio convicium , quasi dixerit : Putasne hoc officio emisse te alapam illam leviusculam , qua libertas datur ? At scias velim , alapas maiores me habere vendibiles , easque servare ardelionibus incutiendas .

6. *vires*) De lucta proprie . Vide Burm. in Phaedri Adpendic. Fab. XVI. n. 2. Adde Iustinum XXXVII. 2. ubi de Mithradate . » Adsuetus . . . cum quibusdam viribus etiam congredi » .

9. *Astu*) Phaedrus in Iliade v. 1014. » Luctando vincitur Aiax, Cuius decepit VIRES Laërtius ASTU » . Porro astus est » ablatio poplitis » quam Theseum docuit Minerva. Vide Meursium in Theseo cap. 7. pag. 20. Editor Perottinus emendat inepte » Superasse qui fuisset melior viribus .

ib. *qui*) elegans ellipsis Nostro familiaris. III. 2. et 7., V. 3. 4. 7., Inf. XVII. 4.

ib. *melior*) Sallust. » bello melior. » Horat. » pugnâ melior. » Noster Iliad. v. 232 » Hunc sequitur formâ melior, non fortis in armis, Belli caussa Paris.

FABVLA XIV.

1. *iacentem*) III. 1. » Anus iacere vidit epotam amphoram ». I 17. » Videns iacentem in foveâ pro septis Lupum » Ita legimus, quia in Mss. est » videns » nec bidens dicitur nisi victima.

ib. *in prato*) I. 15. » Asellum in prato timidus pascebat Senex. adde ib. f. 24.

2. *Accessit*) Simile initium V. 6.

ib. *et tentavit*) Ita ego in trib. edit. Nuperrimus editor fingit se ita restituere. Ego nunc tamen malo » ac tentavit ». Ovid. Met. X. 145. „ Vt satis impulsas tentavit pollice chordas ».

3. *Sonuere*) III. 16. Noctua ad Cicadam. » Cantus tui Sonare citharâ quos putes Apollinis ». Lego » Sonare e citharâ quos potes Apollinis ». q. d. Posses melius hinc procul sonare insidens citharae Apollinis. Ita cicada erat expressa in Eunomi citharâ.

14. *male*) Editor nuperus mavult emendare » Male cessit, inquit. » Tandem adquievit.

ib. *artis*) scil. artis musicae. Citharoedus Nero morti proximus ap. Suet. c. 49. » Quantus artifex pereo!.. Vivo deformiter, ac turpiter! » Suppleo ex Ioanne Sarisb. Policr. VIII. 19 » Vivo deformiter, ac turpiter pereo »! Citharoedos vocat » artifices » etiam Cicero pro Muraena, c. 29.

ib. *nescius*) Terent. » Sciens fidibus ». Horat. III. carm. 9. » citharae sciens » ubi restituo » citharà ». Vide Bentley ad locum.

6. *prudentior*) h. e. peritior. L. 14. » Artis medicae prudentia ».

FABVLA XV.

Fabula est paene omnibus linguis narrata: Vide Fabric. Bibl. Latin. in Phaedro. Sinicis in libris reperitur. Adisis Du-Halde. Etiam Hebraice extulit Rabbi Berachias Hannikdam filius Nitronnai in » Mischle Schualim » h. e. Fabulis Vulpium. Io. Sarisberiensis, Policr. VIII. 11. » Ita ex facto accidisse Ephesi et Flavianus auctor est, mulieremque tradit impietatis suae, et sceleris parricidalis, et adulterii poenas luisse ». Hic est Flavianus qui » Historicus disertissimus » salutatur in marmore Fleetvvodi p. 159. 1. amicus B. Augustino (vide Civ. Dei XVIII. 23.), et Macrobio, qui colloquentem in Saturnalibus inducit. Librum scripsit de Septem Sapientibus, qui, teste Melchiore Goldasto ad Pe-

tron. p. 509. 523. ed. Burm., in Bibliothecis manuscriptus adhuc tineas pascit. Video hunc saepe citatum in Speculo Historico Vincentii Bellovacensis. Neque puto aliud esse ab eius opere de Vestigiis philosophorum, quod citat Sarisber. II. 26. VIII. 12. Hanc Phaedri Fabulam imitatur Petronius cap. cxI., seu mavis Canius Rufus verus auctor Satyrae, ad quem propterea Martialis III. 20. » Aut aemularis improbi iocos Phaedri : scil. fabulas; hasce enim recitare consuevit Canius. Vide Martial. ipsum III. 63. Trimalchionem vero Petronii, et gemellum omnino Malchionem Martialis III. 81, Domitianum esse, tempora Flaviorum in Satyrico depingi, Coloniam tunc fuisse Neapolim, et alia plura, in dissert. peculiari docebam.

1. *Per aliquot annos*) Scil. virum per aliquot annos dilectum sibi, quicum aliquot annis convixerat. Imitatur Phaedrus Terentium. Hecyr. III. 6. v. 39. » Nam si is posset ab eâ se se de repente AVELLERE, Quîcum TOT CONSVESSET ANNOS. » Ardelio exponit » Aliquot ab hinc annis ».

2. *amisit*) Fab. seq. » Coniuge amissâ dolet ». Fabius Pictor ap. Gell. X. 15. » Vxorem si amisit, flaminio discedit ».

ib. *sarcophago*) Quandoque non cremabântur cadavera. Vide Morcell. de Stilo inscr. p. 114. Hinc lapis Romanus ap. Grut. p. 689. n. 8. et Fabrett. p. 17. n. 73. CORPVS INTEGRVM CONDITVM SARCOPHAGO. Statius de Abascanto, Silv. V. 1.

» Heic te Sidonio velatam molliter ostro
» Eximius coniux (nec enim fumantia busta ,
» Clamoremque rogi potuit perferre) beato
» Composuit , Priscilla , toro . Nil longior aetas
» Carpere , nil aevi poterunt vitiare labores
» Siccatam membris . Tantas venerabile marmor
» Saepit opes .

3. *divelli*) mallet Perottinus editor » revelli . Horat. I. carm. 36. v. 18. Nec Damalis novo DIVELLETVR adultero Lascivis hederis ambitiosior ».

ib. *nullo modo*) arte nulli . I. 26. » quam nullo modo Gustare esuriens potuerit Ciconia » . Sic IV. 6. Medeae » modi » sunt artes , doli .

5. *adsequuta*) IV. 12. » Et aequitatis vellet famam consequi » .

ib. *virginis*) A viri virago , et contracte virgo . Proprie ergo , non quae sit nuptiarum expers , sed quae ad sexum sequiorem pertinet . Itaque et Virgilius Pasiphaen dixit Virginem , quae iamdiu Minoi pepererat Phaedram , Ariadnen , Androgeum : et uxor Lyncei Hypermestra , virgo salutatur Flacco . III. carm. 11. Vide Reitzium de ambig. p. 639.

6. *compilárant*) Cic. Nat. deor. 1. 87. » Quae possunt fana compilant » . Adde Phaedrum ipsum IV. 10.

11. *Aliquando*) V. 10. » Aliquando obiectus hispidi pugnae Suis » .

ib. *unus de*) I. 31. De reliquis tunc una » ; nisi mavelis » E reliquis » .

12. *Aquam rogavit*) Plautus, Rud. II. 2. » Intel-

lego i Hanc, quae proxima est, villam, Veneris fano, me Pulsare iussisti, atque aquam rogare ».

13. *adsistebat*) Petron. » Adsidebat aegrae fidissima ancilla ». Ex Phaedro emendaverim » adsistebat ». Nefas ancillae fuit » adsidere » et vix obstetrici licebat. Vide inf. Fab. XIX. v. 2. Neque sedens dominae dormitum eunti ministrare potuit : Stabant coram dominis mancipia. Vide Senec.. ep. 47. de Benef. III. 27. Gronov. ad Gell. XV. 12. et inf. F. XX. v. 9.

14. *dormitum*) Apte, ut nudam intelligas. Vide Terent. Phorm. I. 2. v. 54.

ib. *lucubraverat*) De Lucretià Livius I. 57. » Nocte serà inter lucubrantes ancillas ». Lucernas quotidie effodimus ad veterum sepulcra. Ibi enim vigilias celebrabant maiores. Suet. Aug. c. 99. Kirchm. de Fun. IV. 4. Morem retinuere Christiani. Boldett. obs. Coem. I. 11. p. 43.

15. *perduxerat*) Auctor Queroli III. 2. » Vae illis, apud quos domini vigilias multam in noctem pertrahunt. Tantum enim servis de vita abstuleris, quantum de nocte absciderís » : Sed sub Plauti nomine rotundiorem versum retulit Vinc. Bellovacensis, Spec. doctrin. VI. 12. » Tantum enim servis de vità quantum de nocte auferunt :

17. *sed facie pulcrà*) M. S. » et facie ». At excidit litera s, quia scribebant SET pro » sed ». Itaque in tribus editionibus restitui „ sed facie » : Editor Perotti fingit se ita legisse, immo verum dicit; quia legit hoc in edit. nostrà principe. Similis

locus III. 8., ubi legi oporteret cum Criticis » Itidemque insignem pulcrà facie filium. Male vulgo » insignem et pulcrà facie ».

18. *Corruptus animus*) Graeca loquutio, ut „ Vanus animus, V. 7., liber animus » III. prol. Vide Hoogeven. ad Vigeri Idiot. cap. 3. sect. 1. reg. 1. §. 9. n. 60.

19. *Vritur*) M. S. habet : » Vriturque sensim impud. . . cupid. . . » Emendavi, ut vides. Iam nunc mutato consilio, praeferrem. » Et uritur sensim impudens cupidine » : Nugator Perottinus mirifice, ut solet » Vriturque sensim. Vritur impudicitiae cupidine. Sensim uritur impudicitiae cupidine. Et uritur impudicitiae c. Vritur et sensim impuritiae cupidine. Et sensim uritur. Sensim impudico et uritur cupidine ». Pudet exscripsisse.

20. *Solers acumen*) II. prol. » Acuitque se se diligens industria ». Plin. H. IV. 11. 27. » Quas (caussas) ingeniorum acumen excogitat ». Petron. c. 79. „ Tandem expliciti acumine Gythonis sumus ».

ib. *invenit*) Melius fort. » reperit » ut IV. 4. » Vnius hominis reperit solertia ». IV. 8. Effugium reperire alterius quaerit malo ».

21. *videre*) Amoris hoc, ut » visere » est officii. Vide Cic. IX. Fam. 23.

22. *Quotidianâ*) Terentium imitatur, qui ex Phaedro emendabitur, Heaut. 17. 2. v. 42. » Quotidianam vitae consuetudinem ». Pessime edita exemplaria » quotidianae »

ib. *capta*) II. 2. » Animosque eiusdem pulcra iuvenis ceperat. V. 7. » Auri captus frivoli.

23. *ad votum*) Ridicule serotinus ille Criticus » advenae » ; quia miles aliunde veniens ita vocari potuerit. Miror Forcellinum suum heic loci non consuluisse hominem nostrum laboriosum Iupiter ! ac diligentem. Sed » votum » heic est » venus ». Petron. c. XI. » Fruorque votis ». c. LXXXVI. » omnia vota coniuxi ». Ita Ovidius passim, aliique. Vetus lapis, Anthol. Pisaur. class. IV. ep. 30. HAEC SVNT FELICIA VOTA, AMPLEXVS VITAE REDDERE POST TVMVLVM.

ib. *submissior*) subiugata est saepiuscule. Virg. » submittite tauros ». Inde ad venerem translatio. Horat. » Nondum subactà ferre iugum valet Cervice ». De comparativà formà vide Fab. XIV. v. 6. Placet » facta submissior » ut alibi Auctor » factus nobilis, factus calvus, factus sophus, factus locuples ».

24. *copulà*) cesto venerio. Horat. I. carm. 13. » Quos inrupta tenet copula ». Sceleste Petronius, et suburanà planissime nequitià. » Ne hanc quidem partem corporis abstinuit, victorque miles utrumque persuasit ». Ex Festo v. » Veteratores » legendum puto » Veteratorque miles mulieri non astutae facile utrumque persuasit ». Citat ibi Festus Canium, qui verus est auctor Satyrici. De his alias.

25. *Heic*) Solet Phaedrus pro tempore I. 11., II. 8., V. 10., particulà uti. Sed pro loco in isthac fabulà potius accipienda.

ib. *consumit*) IV. 14. „ Postquam consumta est temporis longi mora.

ib. *Miles*) Ita in M. S. Ita exhibui in trib. edit. Ita editor Perottinus. Nunc iste in edit. alterâ mutat *Custos*, contra fidem apographi.

ib. *diligens*). Ironice, ut mox v. 28. „ sancta mulier.

27. *turbatus*) IV. 17. Sup. fab. V. v. 13.

28. *Sancta*) Sup. f. V. 18.

ib. *non est*) II. 1. „ Cui placidus ille: Non est quod timeas, ait „. Vide et heic Fab. xII. v. 9., et xxII. v. 8.

30. *poenas*) fustuario occisi milites qui stationem deserebant. Polyb. vI. 35. Lips. Mil. Rom. V. 18. p. 379.

31. *turpitudo*) Sic honestatis famam adepta est mulier infamis. Perottinus ardelio. „ Sic sepulcrum quod antea fuit locus pudicitiae, factum est turpe, et impurum. »

FABVLA xvI.

3. *dictus*) IV. 11. „ Fatorum dicto tempore. „ Ib. 24. » horâ dictâ.

ib. *advenit dies*) IV. 11. „ Sed quum praescriptus venerit poenae dies „. An leg. „ praescriptae advenerit „? poena enim praescribitur, et proponitur, I. 16. „ Vbi vos requiram, quum dies advenerit? V. 7. „ Qui (dies) simul advenit „. Catull. in Peleo „ carm. 66. „ locum habet gemellum, ac Phae-

dro imitatum. ,, Quae simul optato finitae tempore luces Advenere, etc.

5. *Amans*) fort. leg. ,, Pauper ,,. Sic olim exhibui in edit. 1808.

ib. *perpeti*) IV. 4. ,, nulla poterat perpeti.

6. *hortulos*) Charinus ne videat nuptias rivalis Pamphili, Terent. Andr. II. 1. v. 29. ,, Saltem aliquot dies Profer, dum proficiscar aliquo, ne videam ». Plaut. Merc. III. 4. v. 71. » Quam te satius est rus aliquo abire, ibi esse, ibi vivere, Adeodum illius te cupiditas atque amor missum facit? » Vide Ovid. Remed. Amor. v. 169.

7. *splendida*) M. S. » splendidi ». Catull. Peleo v. 46. » Tota domus gaudet regali splendida gazâ,.. Citat locum novitius exscriptor, et addit Virg. Aen. I. 641., necnon Cic. Paradox. V. 2. Quaero, quid intelligi possit in Horatianis villis » nitidis, I. epist. 15. v. ult.; in » domo politâ Phaedri, IV. 4., in aedibus » speculo claris Plauti, Most. III. 1. ... Consideremus Varronem, R. R. I. 2. ubi reprehendit in agris ,, regie polita aedificia, et ib. c. 14. ,, villam ,, nominat ,, politissimam. Iam Burmannus ad IV. 4. haec ad opus albarium vel tectorium referebat. Vide et Mazoch. de Asciâ p. 105. Vtique opere marmorato exculti parietes, ut ait Vitruvius, VII 3. » perlucentes nitidosque exprimebant splendores ,,. Sed et columnis ac marmorum crustis insano sumtu ornabantur villae; quae hinc ,, urbanae ,, dicuntur Varroni, R. R. I. 13., ,, pseudo-urbanae ,, Vitruvio, IV. 8., qui ,, peristylia ,, quoque in ipsis commemorat. De iisdem Iuven. IV, 112.

„ Fuscus marmoreâ meditatus praelia villâ „. Tales quoque describunt Strabo V. p. 254., et Statius, Silv. I. 3., II. 2. Capitolin. Gord. III. c. 32. „ Est villa eorum viâ Praenestinâ ducentas columnas uno peristylio habens.

8. *e matris sinu*) Villa scil. mox excipere debebat maritam e matris gremio rapiendam. Vide Fest. v. Rapi.

9. *parum*) domus urbana parum videbatur ampla nuptialibus epulis et conventui.

10. *pompa*) Apuleius, Met. lib. VII. p. 91. b. edit. Aldi „ Tota civitas ad votivum conspectum effunditur. Procurrunt parentes, adfines, clientes, alumni, famuli, laeti, faciem gaudio delibuti. Pompam cerneres omnis sexus, et omnis aetatis, novumque et hercules memorandum spectamen, virgiuem asino triumphantem „. Pompae nuptialis imaginem exhibent marmora anaglypta apud Guattanum, Diar. 1774. p. XLII., et 1785. p. IX. Deductionem eiusmodi pompaticam cum facibus, fescenninis, etc. interdicit Christiano populo Chrysostomus, hom. 48., et 56.

ib. *concurrit*) III. 14. „ Concurrit populus „ Quintilian. Decl. 306. „ Virginem . . euntem . . comitante populo „.

11. *praefert*) In M. S. est „ praebet „ ut exhibui in princ. edit. Proprium tamen est „ praeferre facem „. V. Gonsal. ad Petron. c. 26.

ib. *Hymenaeus*) Puer unus ingenuus patrimus et matrimus, habitu Hymenaei. Hunc puerum ita adpel-

litat Catull. carm. 62. , hortaturque ut praeluceat : Terent. Adelph. V. 5. „ Hymenaeum , turbam , lampadas , tibicinas .

13. *deferre*) Perottinus nugator fingit se emendasse „ referre » quod legerat tamen in edit. nostrâ principe . At nunc mihi placet „ deferre „. Plinius , aliique passim scribunt „ arbores deferre fructum „ Scio „ quaestum referri „ optime dici potuisse , at de ipso domino , qui lucellum capiebat et pecunias domum ferebat . Tibull. I. 10. „ Et pretium plenâ grandè referre manu „ . Similis error I. 4. „ Aliamque praedam ab alio ferri putans „ ubi pariter emendarem „ deferri „ .

ib. *stabat*) Hinc stationes , et stabula . V. Iac. Gothofr. , ad L. 65. C. Th. de cursu publ.

ib. *portae*) Scil. portae urbis , ubi locabantur vecturae . Hinc puto » asinariam » dictam Romae portam Coelimontanam , quia si a praedio Asiniorum contermino , ut somniant , accepisset nomen » Asinia » potius audivisset . Et quidem stabula ad portas urbium sita erant . Plaut. , Pseudol. II. 2. v. 63. » Ego devortor extra portam huc in tabernam tertiam » . Idem , Trin. II. 4. 21. » Pater , quum peregre veniet , in portâ est locus , Nisi forte in ventrem filio correpserit » . Aedibus nempe a filio distractis , restabat ut pater sibi cellam in stabulo quaereret , nisi mallet in ventre se filii claudere . Denique Petronius cap. 81. conduxisse narrat Ascylton Neapoli » locum secretum proximum litori » h. e. » diversorium , ut mox ait , cap. 82. , quod

ipsi venit LOCI nomine, atque etiam Plauto, fort. à » locatione ». Perotti Editor in edit. alterâ fingit asinum stetisse ad portam domus, quam Pauper in urbe habuit, vel ad portam eius villulae.

15. *teneros*) Virg. » Ah tibi ne teneras glacies secet aspera plantas » ! Petron. Fragm. p.668. » Planta decens modicos nescit calcare lapillos ». Cur Petronius c. 126. mollium incessum » tute » compositum scribit? Burmannus ait » quia videntur sibi cavere a casu ». Ego puto, quia sibi cavent a scrupulis terraeque ipsius duritie. Catull. carm. 42. » Turpe incedere, myrmice, ac moleste ». Notum iam erat gradum myrmicum esse formicinum. Nec tamen notum qui foret » molestus incessus »; nunc puto liquet. Sed et in Catullo praeferrem *tute*, ubi nunc *turpe*.

16. *Veneris*) Non ignara malorum dea miseris succurrit. In marmore anaglypto ap. Guattanum adsidet Helenae, ipsique Paridem commendat. Colebatur ad Vesuvium Venus (Martial., IV. 44.) fortasse in Pompeianâ viciniâ, ubi nunc » Santa Venere ». Plane et in Dauniae oppido Vruri prope Larinum, locus est Santa Venere, memoratus Archiepiscopo Triâ in Historiâ Larinate. Ibi effodiuntur numismata cum facie adversâ crinitae Veneris; deamque ibi cultam testatur Catulli versiculus: » Quae Cnidon colis Vriosque apertos »: Numorum epigraphe YDINOD, nempe *Vrinorum*, Catulli *Vrios* designat. Locus Sanctae Veneris ad hodiernam Vrurim, et quotidiana ibi numorum effossio rem in li-

quido statuunt. Quare notari ego non merebar ab amico Forgesio in 1. *vol. Act. Societ. Pontanianae*; qui sane veterum testimoniis abusus est. Sed de his alias. Venus Pompeiani templi PROBA cognominatur in marmore ap. Ignarram, de Fratriis, et PHYSICA in alio ap. Fleetvv. p. 32. n. 3. Conciliatrix nempe nuptiarum, et propagationis humanae fuit, sicuti hoc in Apologo Phaedri etiam proponitur.

17. *movetur*) Motum exprimit nubium et fremitum. Virg. Georg. I. 460. » Et claro silvas aquilone moveri »; Aen. IV. 160. » Interea magno misceri murmure coelum Incipit; insequitur commixta grandine nimbus.

ib. *intonat*) Virg. XII. 366. de borei. » Insonat Aegeo ». Ex hoc Phaedri loco, et Horat. Epod. II. v. 51. rescriberem: » Intonat Aegeo ».

ib. *fragor*) Glossarium meum ms. » Fragores: tonitrua ». Virg. Aen. II. 692. » subitoque fragore Intonuit laevum ». Aen. VIII. 527. » Iterum atque iterum fragor intonat ingens. » Coelum, sive mundus » frangi videtur tonitruo, unde » fragor ».

18. *parat*) quia nox instabat; sero enim deducebatur marita. Virg. Georg. I. 429. » Maximus agricolis pelagoque parabitur imber ». Noster II. 4. » Pernicies paratur ».

19. *grandinis*) Pacuv. » Grando mixta imbri largifluo subito turbine praecipitans cadit. »

20. *effusa*) Virg. X. 804. » Ac velut effusa si quando grandine nimbi Praecipitant ». Inepte nebulo Perottinus more suo. » Effusa trepidos urget at-

que dissipat. » Effusa et pluvia pulsat et omnes dissipat. » Phy!

ib. *densa*) Virg. Georg. I. 53. » Densissimus imber ». Sed placet nunc reponere » denique »' . . . .

21. *fugâ*) Imitatur Virgil. Aen. IV. 160. et X. 804. Male nebulo » fugae » emendatum cuperet.

22. *notum*) Vide ut mugiat nebulo » Notum proximum tectum subit ». Locus, quo quis se recipit quotidianâ consuetudine eleganter » notus » dicitur, ut de ulmo Horatius dixit » notâ sedes columbis » et Noster de muribus I. 11. » exitus notos petunt ».

25. *adspiciunt*) Grammaticaster emendat » adfirmant ».

23. *admirantur*) rei novitatem. Vide Quintilian. IV. 1.

25. *paucos*) Pauci sunt amici pauperum. Proverb. » Ubi fervet olla vivit amicitia. »

26. *crebris*) Lucret. lib. IV.

» Pocula crebra, unguenta, coronae, serta
» parantur,
» Nequidquam: quoniam medio de fonte le-
» porum
» Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus
» angat ».

ib. *avocabat*) avertebat, excutiebat. Plin. VIII. ep. 5. » Doloris avocamenta.

28. *hortante*) Apuleius Met. II. p. 16. » Veneris hortator et armiger Liber ». Vide Anacreontem odar. 6. Petron. c. 130.

ib. *dulcet*) Vestalis ap. Senecam VI. contr. 8. » Felices nuptae ! moriar nisi nubere dulce est !

ib. *perficit*) Nequius aliquid latet. Arnob. lib. IV.» Etiam Perfica una est e populo numinum, quae obscoenas illas et luteas voluptates ad exitum perficit dulcedine inoffensâ procedere »? leg. » procedentes.

29. *aequalitatis*) aequalium, sodalitii. Ita solet Phaedrus. v. Burm. comm. nov. ad II. 5. v. 33. Vetus lapis apud Fleetvv. p. 262. 4. OSSA. PARVAE. AETATVLAE, h. e. puellae. Itaque III. 10. » Aetatem adultam servans diligentius » expono » adolescentem » Servius Danielis ad Virg. Aen. I. 436. » Adultos dicimus minores ». Apuleius Apolog. 2. » Filium eius Pontianum, qui tum adultus Romae agebat » h. e. pubes.

ib. *inter plausus*) IV. 16. » Inter vectorum lacrimas et mortis metum ». Plaudebant in nuptiis veteres. Vide Aristaenet. I. ep. 10., Petron. c. 26.

30. *praeconem*) Plaut. Men. III. 4. v. 76. » Certum est praeconum iubere iam quantum est conducier. Qui illam investigent, qui inveniant ». Formula proclamationis ex ICto Curio Fortunatiano exstat ap. Cuiac. Obs. XI. 18. Alia ap. Petron. c. 97. item ap. Apuleium Met. VI. p. 59., ubi Mercurius praeco Psychen fugitivam quaerit.

32. *innotuit*) V. 7. » Vt vero cunctis notuit res omnibus. » I. 10. » Quicumque turpi fraude semel innotuit ».

33. *omnes*) Similis clausula, IV. f. 24.
» Vt est vulgatus ordo narratae rei;

» Omnes dixerunt numinis praesentiam
» Vati dedisse vitam mercedis loco.

FABVLA XVII.

2. *turpi*) deformi. Ovid. Art. III. 255. » pulcrae turpesque puellae » Ita et Noster III. 8. IV. 4.

3. *expingendo*) Grammaticaster expl. » coloribus faciem pingendo ». Sed Noster, alibi II. 2. » Quum se putaret PINGI curà mulierum ». Haec lectio est codicis apographi, quam tuentur fortiter Rittershusius, Faber, Gruterus. At Scioppius mutat » pingi in » fingi; quodque mireris, ipse idem adducit locum ex Plauti Poenulo. » Poliri, expoliri, PINGI, fingi »; immo quod magis mirere, pedarios reperit Schefferum, Heinsium, ac Burmannum. Proprie » pingo » signif. expolio, concinno, nitidum reddo, ut Graecis πυγῶ et ποικίλλω: Hinc Martialis VII. 82. VIII. 52. tonsores ait barbam » expingere ». M. Petilius bonus et antiquus poeta, Anth. Pisaur. III. 107. » Te natura parens omni depinxerat arte, Moribus, ingenio, corpore, mente, fide ». Item Anonymus ibid. IX. 28. » Pingere se semper non est confidere amori. Quid quod saepe decor, dum prohibetur, adest »? Servius » pictos Agathyrsos » Virgilii, Aen. IV. 146., expl. » pulcros, et cyaneâ comâ placentes ». Et in Phaedro III. 8. » Tu faciem ut istam moribus vincas bonis » malo cum Trillero legere » pingas » h. e. exornes. Certe locum, ut vulgo habemus, Bentleius non concoxit, Schefferus

male defendit, Burmannus inter Phaedri singularia rejecit.

ib. *diem*) Legendum arbitror » totam intricabat domum » h. e. vexabat familiam. » Tricas domesticas » memorat Cicero, Att. X. 8. Sed » intricare diem » utcumque signif. in tricis diem exigere.

4. *Vestem*) M. S. » vestes „. Patet mendum, quod elui in princ. edit., et ardelio Perottinus, in perpetuo illo plagio nostrarum lectionum, scripturam nostram avide adripuit. Auctor IV. 4. „ Vestem, uniones, pedisequos ». Vide Ducker. de Latin. p. 136.

ib. *comparans*) Ardelio obtrudit „ sumeret „. Vide an cohaereant ista. Aesopus quum „ serviret „ feminae, quae diem „ intricabat „ vestem, sumeret „ nec » inveniret „ etc. In M. S. legitur vestigium „ com. . ; „ at aliis oculis male inunctis „ sum . . » adparuit.

5. *digito*) Plaut. Poen. V. 5. v. 29. » A. Quid tibi hanc digito tactio est „? P. „ Quia mihi lubet. A. Lubet? P. Ita dico. A. Ligula, i in malam crucem. Tune heic amator audes esse, hallex viri? Aut contrectare, quod mares homines amant? Deglupta maena „! Obscurissima sunt convicia „ Ligula, et Maena; item Hallex viri „. Puto de piscibus sumta. Est enim „ ligula „ lingulaca, solea, glutinosus piscis in limo degens, et albus. Item in maenidibus sunt leucomaenides, sive smarides unde exsangues et pallidos nobis dici „ smarritos „ putat Massarius ad Plin. IX. 26. Plautus, ut eande-

rem extollat, smaridem detractâ etiam pelle imaginatur. Denique non „ hallex „ legendum puto, sed „ halec „ quae maenidum species.

6. *Dicas*) Noster adversarius sub nomine obscuro personatus se legisse in Codice adfirmat „ Dicas. Censeo. Quidvis efficies „. Sed tamen *Ce* est V in libro, *n* est *i*, *s* est *r*, denique *eo* est *is*. Verbo; lippus non inunxit oculos legitimo collyrio. Ego vero fateor legisse, et relegisse „ Dicas viris, Quidvis, etc. „ Imitatum putabam Catulli veneres poetam meum; ille enim carm. 99.

„ Si nos omnino vis omnes perdere Vetti,

„ DICAS; omnino QVOD CVPIS EFFICIES.

7. *quidvis*) nequiter. Vide nostrum Constantinum §. XIV. p. 26., ubi L. 31. C. ad L. Iul. de adult. emendabam. „ Feminam viris porrecturam quidquid cupiatur. „

ib. *cultum*) IV. 4. „ Deformis cultum vendet, I. 13. „ Quantum decoris corpore et vultu geris! „ fort. cultu. „

ib. *deposueris*) Aesopus intelligit: Si deposito pignore, viros adpellaveris, h. e. oblato mundo muliebri in mercedem admissariorum. Mulier contra abiiciendum cultum interpretatur.

8. *per me*) nullo artis et mundi adiumento. III. 10. „ Per te cognoveris: „ Propert. II. 23. Heu quantum per se candida forma valet! „ Ovid. Remed. v. 343. „ Auferimur cultu, gemmis auroque teguntur Omnia; pars minima est IPSA puella sui „ Tibull. I. 9. „ IPSA placet, quamvis inculto venerit ore „.

Plaut. Most. I. 3. v. 131. „ Pulcra mulier nuda erit, quam purpurata, pulcrior „.

9. *sponda cessavit*) Cave emendes „ cessabit „, sicuti ausus est indignus homo, qui inter res serias nominetur. Summa elegantia in lectione M. S., ut quum dicimus „ periisti, actum est „. Vide exempla apud Iuven. III. 168. VI. 476. Ad rem Tibull. I, 9. » Non lapis hanc gemmaeque iuvant, quae frigore sola Dormiet, et nulli sit cupienda viro. » Propert. III. 5. » Putris et in vacuo texetur aranea lecto. »

10. *latera*) flagellis scribenda. Horat. Epod. IV. Catull. carm. 25.

ib. *tua*) Venustus sarcasmus ex desinentiâ simili, ut I. 1. et 5., IV. 4.

11. *Obiurgari*) scil. flagello. Scimus obiurgare flagris, colaphis, ferulis etc. dixisse latinos. Absolute heic Phaedrus, ut etiam V. 10. » Canem obiurgabat. »

12. *tollit is*) Defingit plagiarius meus » tollunt » Sed in M. S., ut ipse fatetur, habemus » tollit ». Possumus traiicere. » Armillam tollit paullo post argenteam »

13. *Eam*) In Ms. » Quam ». Primus emendavi » Eam. » Sequitur Panniculus plagiarius, vultu emendatoris Critici.

16. *Aliis*) M. S. » Aliis minare inquit, me non fallis certe » Placet mehercules editoris emendatio » non fallis quidem ».

FABVLA XVIII.

1. *Faeles*) Ita scribo, magistro Charisio, etiam in desinentia nominativi. Diphtongus probatur, quod ex Graecorum aelos venerit nomen, praeposito digammate. Inde etiam Aelius, immo et Faelius ap. Grut. p. 240. col. 4. lin. 43., ut ab Ove Ovinius, a porco Porcius etc. Vide Varronem R. R. II. 1.

ib. *lecticarios*) M. S. vitiose » lecticarius » et mox » gloriosa ». In princ. edit. sublata sunt ista amanuensis menda. Bonus editor Perotti, qui spectatos viros de plagio insimulat, sublegit lectiones nostras.

3. *gloriose*) quia in lectica. M. S. Glossar. nostrum. » Lectica, quà Consules portantur ». Egregie. Vide Suet. Iul. c. 43. Iuven. I. 158. et X. 35. Mamertin. Paneg. ad Iulian. c. 30., Plin. Paneg. c. 24., Senec. ep. 81.

ib. *ut vidit*) Formula Phaedri, I. 21., III. 16.

4. *sic est*) Item alia formula I. 5., IV. 17.

ib. *praecaveas*) I. 16. » Praemetuens dolum. Atque heic ridetur paedotriba, qui „ dolum » adfirmat non esse fallaciam, sed periculum.

5. *Istorum*) cum comtemtu. Vide et Fab. XII. v. 10.

ib. *vultus*) Pulcri eligebantur lecticarii. Lips. I. Elect. 19. Turpis contra faelibus vultus, et ridicule truculentus, ut ardelionibus, et paedotribis.

7. *coepit*) Vox familiaris Phaedro. V. Hoogstr. ad III. 17. v. 7.

ib. *sero*) M. S. » sera ». Editor Perotti mallet »

societas fera ». Nihil ineptius. Sero, ut IV. 14, scil. instante hora coenae.

ib. *societas*) Alibi II. 4. » contubernium ». Innuit lecticarios qui cum gallo gallinaceo convivebant.

8. *fecit partes*) Vide Feith. Ant. Hom. III. 5. §. 5. Noster I. 5. » Sic est loquntus partibus factis Leo ». Item II. 6. v. 15. » Large divisit dapem ». Lego cum Burmanno » largam » ex II. 15. De partibus vide etiam Petron. c. 33. Sueton. in Calig. c. 18., eumdem in Domit. c. 11., et Spartian. in Carac. c. 3.

ib. *facinoris*) Ardelio explicat » galli, iniustae scil. praedae ». Nec rationem adfert. An quia » furtum » dicitur ipsa res furto sublata ? Vt etiam Nostro IV. 10. „ sacrilegium » quidquid sacrilegus compilato Iovis delubro abstulit. Habemus quoque » funus » pro cadavere. Pulcre denique Cinna apud Priscian. „ At scelus incesto Cinyrae crescebat in alvo „ : ubi non placet » scelus Cinyrae » et maluerim „ scelus „ absolute poni, deinde restitui „ Smyrnae crescebat in alvo „. Sed haec et talia duriuscula videntur. „ Facinus „ heic significat „ factum „ scil. paratum coenae. Doctus La Cerda, Advers. Sacr. cap. LXV. n. 130. p. 82., observat » factum „ hoc sensu obvium esse in antiquis Bibliorum versionibus. Immo et Plautus, Aulul. III. 3. „ Coquite, facite „. Petron. c. 47. „ Quem (porcum) vultis in coenam statim fieri „ ? Ita accipio Plautum Mil. I. 1. v. 18. „ Machaera gestit factum facere ex

hostibus „. Male alii „ farctum, vel fratum „. Sed en tibi decretorium ipsius Comici locum ex Menaechm. I. 2. v. 32. „ M. Vin' tu FACINVS luculentum inspicere? P. Quis id COXIT COQVVS „? Tirunculus noster haec non poterat in suis lexicis reperire,

FABVLA XIX.

1. *Premente*) M. S. „ tremente „ Sed Rinutius, quem Rimicium vocant, diserte habet quod exhibui in tribus edit., et Perottinus editor de more surripuit, is qui Cassittum tot sibi egregia monstra surripuisse, quae abominatur, clamitare non erubescit. Phocas Grammaticus in vitâ Maronis. » Haec quum maturo premeretur pondere ventris „. Itala Versio Ioann. XVI. 21. de puerperâ: „ Iam non meminit pressurae.

ib. *gemeret iacens*) Vide Auct. I. 18., IV. 22. et Dissert. de Gemitu in Symbolis Gorianis vol. 2. p. 81.

4. *Adcurrit*) V. 2. » Adcurrit comes, Stringitque gladium.

ib. *obstetricis*) Obstetrix olim » adsestrix » vel » adsa » ab adsidendo. In inscriptionibus » maea, iatromaea „ et saepius » medica » adpellatur. Ex ancillis plerumque deligebatur.

6. *nósset*) Criticus gregarius emendat. » Quae vero quum nosset pecoris fraudem improbi ». Deinde addit » pecoris, nempe lupi; eleganter ». Ego regero. O miserrimum paedotribam! Neque in scholâ didicit » pecudis » nomine lupum potuisse

exprimi, minime vero » pecoris » vocabulo „ quod genus lupinum significat. Eadem heic significatio quae III. 13. ubi de vespâ noscente apes et fucos, » Quae genus utrumque nôsset quum pulcherrime ». Venuste autem » nôsset „ pro „ utique noverat „. Itaque „ fraudes „ lupini generis, non „ fraudem „ heic dici oportuit.

ib. *improbi*) fraudulenti, vel potius insatiabilis. Vide interpretes ad I. 5. v. ult., necnon Philargyr. et Servium ad Virg. Georg. III. 431. Quare I. 1. legendum » fame improbâ » cum Rittershusio. De lupis Virg. XI. » Quos improba ventris Exegit rabies ». Item de lupo IX. „ asper et improbus irâ ». Quod est improbum urget, instat, molestum est, nec desinit, nisi potiatur. Huc fortasse respexit Glossographus noster ineditus. » Improbus, importunus ». Certe hinc » famem improbam » puto dici, ut » laborem improbum ».

7. *offic. repudiavit*) I. 29. » Ille indignans repudiat Officium ». Auctor Queroli I. 8. » Hea! Ego officium sum adspernatus!

ib. *malefici*) II. 3. » Tinctum cruore panem misit malefico.

9. *commisisset*) I. 31. » Qui se committit homini tutandum improbo.

10. *pari dolore*) I. 10. » Simili dolore fata deploras tua ». Pari dolore scil. minime lenito puerperii dolore, fata insuper sua, h. e. mortem deflesset. Editor nuperus » Aequali cruciatu ac tum in partu premebatur calamitatem et aerumnam suam (deflesset);

nam lupus statim natos foetus devorasset, et ipsam etiam in partu etc. » Papae! Sed vide an legi possit. » Parens doloso » ex duobus locis. 1I. 6. » Aquila menitis paruit, 1I. „ Dolosa noto condidit se se cavo.

FABULA XX.

1. *Malo*) M. S. » Non esse malo addendum malum.

2. *profugiens*) I. 30. » Sed pulsus regno nemoris qui profugerit. Plin. VI. 29. » Servi a dominis profugi „. Curtius X. 2. » Ne servi quidem uno grege profugiunt dominos ». Collaria profugorum inscripta exhibet Fleetvv. p.332. n. 1.» T. M. Q. F. ET. REV. ME. P. RVBRIO LAT. DOMINO MEO. Item aliud. TENE ME QVIA FVGI EVPLOGIO EX PRP. VRB.

ib. *asperae*) Cic pro Plancio c. 16. » Asperâ naturâ et omnibus iniquus ». De L. Trebonio tribuno plebis Livius 1I. 65.„ Insectandis patribus ASPERO inditum cognomen „. Virg.„ Aspera Iuno„ Horat.„ Asperitas agrestis, et inconcinna gravisque „. Vetus poeta in Tiberium ap. Suet. Tib. c. 59.

„ Asper et immitis; breviter, vis omnia dicam?
„ Dispeream si te mater amare potest.

3. *occurrit*) III. 7. et inf. Fab. xxx1I. 3.

ib. *e viciniâ*) ut alibi „ ex atriensibus, e populo, e turbâ.

4. *Quid*) I. 9. „ Quid ita cessarunt pedes „? ubi vide Scheffer. 1I. 20. „ Quid cum lumine „?

ib. *confusus*) IV. 17. „ Canes confusi „.

ib. *clare*) libere, ut IV. 19.

ib. *pater*) Blanditur seni. Bacchis meretrix ad Chremetem senem, Heaut. III. 1. v. v. 49. „ Hoc asperum, Pater, est „. Petron. c. 6. » Accedo aniculam . . et rogo, inquam, Mater „. Horatius I. ep. 6. v. 54. „ Frater, Pater adde; Vt cuique est aetas, ita quemque facetus adopta „. Atque ipse praecepti tenax Trebatium „ Patrem „ II. serm. I. v. 12., et Maecenatem „ regemque Patremque „ adpellat 1. ep. 7. v. 37. Nugator, Augustum, Ennium et Chrysyppum a poetis „ patres „ dictos, quia senes forent, opinatus est.

6. *Tuto*) M. S. „ Tuto quia apud te querela deponitur „. Editor serotinus. „ Tuto querela quia apud te deponitur.

7. *plagae*) III. 20. „ Ecce aliae plagae congeruntur mortuo „. Nugator meus „ Plagae supersunt, desunt numquam verbera „.

8. *Subinde*) Audi nunc deliramenta nugivenduli. „ Subinde ad villam mittor servus rusticis. Subinde ad vilem mittor servitudinem. Subinde ad vilius mittor servitii opus. Subinde ad villam mittor servus rustico „. O ventum horribilem atque pestilentem! Atque hic ille est lectionum thesaurus, quem invidus expilabam, scilicet!

9. *persto*) Nugator emendat » praesto „ quia » persto » aliquid aliud post se postulat. Immo « praesto » post se aliud postulat. Deinde pro suo illo » praesto » citat neque intelligit Lucanum V. 29. et Martialem. » Qui solus inopi praestat et facit turbam ».

2

Mecum retine » persto ». Seneca epist. 47. » Nocte tota (servi) ieiuni mudique perstant . . . Tota nocte pervigilat (servus) . . . Perstat infelix ». Gracchus ap. Gell. XV. 12. » Pueri eximia facie stabant ».

10. *est vocatus*) M. S. » aestu vocatus ». Ad coenam vocati absolute » vocari „ ac si mutitarent » revocari » dicebantur , unde servi » vocatores ». Catull. carm. 48. » Quaerunt in trivio vocationes. carm. 45. „ Qui tunc vocat me , quum malum legit librum „ . Adde Auctorem meum, l. 27. „ Quae vulpem quum revocasset „ . Formulae . „ Vna simus : Vna bibamus : Ad coenam promitte , etc. „

ib. *Vigilo*) Editor novitius supplet „ maneo.

ib. *in semita*) Plerumque ad pedes domini quisque sui manebant in triclinio servi , et soleas custodiebant . Sed haec Romana consuetudo fuit . Phaedrus mores Graecos describit . Attamen puto non omnes servos dominum sequutos in Romana triclinia , ne illuvie et freque ia sua convivas offenderent . Vide Petron. c. 34. Itaque erant de grege servorum , qui stabant in semitis , ibique dominum exspectarent . Huc refero illa Petronii c. 9. „ Quasi per caliginem vidi Gitona in crepidine semitae stantem » . Primam designari lucem indicat satis illud » per caliginem vidi ». Quae sequuntur porro , coenam vel saltem antelucanum prandium praecessisse probant . Ergo Giton in semita dominum iam exspectaverat in aedibus proximis coenantem , vel prandentem . Atque indulsisse caninae libidini servos in semitis , ne noctem otio perderent , videtur Catullus innuere , ubi » moe-

chos » commemorat » semitarios ».

12. *conscius*) Contra IV. 25. » Integritatis conscius.

13. *Aequo animo*) I. 26. » Sua quisque exempla debet aequo animo pati. Fab, seq. v. 1. » Ferendum aequo animo est quidquid acciderit mali.

14. *Super*) Lectiones nugatoris adtexo. » Et super infelix saevum perpetior herum. Et super infelix saevum perfero dominum. Et saevum dominum patior infelix super ». Apage monstra! Heic vero » super » valet » praeter haec. III. 11. » Qui super obscoena dicta „. IV. 23. » Super etiam iactas tegere quod debet pudor „ Ita Codices mss. Lego „ Super et mi iactas. Vulgo emendant, » Superba iactas.

15. *promere*) Ita ego in trib. editionibus, ut in M. S. Ardelio meus fingit in Codice esse » pro . . ., et se restituisse » promere ».

18 *experiris*) I. 3. » expertus contumeliam.

19. *peccaris*) Editor. » Peccâris pro peccaveris, quod pro futuro etiam sumi posset . . . Peccare est errare etc. » Atque hisce puerilibus strophis inquinavit Phaedrum parasitaster parvolus.

ib. *putas?*) I. 15. » Clitellas impositurum victorem putas? » Ad rem desperatus Terentii locus, Form. V. I. v. 13. » Ita fugias, ne praeter casam. » Lego, „ casum „. Suppl. fugias ;, h. e. Cave ne postquam cecideris, fugere perseveres.

FABVLA XXI.

2. *e quadrigâ*) M. S. *et quadrigam*. Emendavi, ut vides, in tribus editionibus. Ardelio ita se emendasse iactat, addens „ Quadrigam vocarunt Romani currum etc. Sed „ iugum, bigae, quadrigae » sunt ipsi equi iugales. Vide Serv. ad Aen. xII. 374. Mula de aurigâ dicit, III. 6. » Iugum flagello temperat lento meum ». Perperam. Iugum enim aurigae domino serviebat, non mulae loquenti. Lege » suum » nempe ad aurigam iugum, ut oportet, sive mulas refer; atque ita carebis Criticorum tormento.

ib. *nobilem*) victorem illustrem, quia victor pronunciabatur unus ex equis quadrigae. Vide Salmas. in Solin. c. 45.

3. *in pistrinum*) Vide Iuven. VIII. 57.

4. *aequales*) h. e iugales suos. V. Salmas. l. cit. p. 632.

5. *laudis*) Ardelio legit » Ludis ». Sed vera lectio nostra est omnino. Auctor V. 5. » Venere artifices LAVDIS ad CERTAMINA. Val. Max. V. 2. » C. Marii vestigia ubique Sylla CERTAMINE LAVDIS subsequitur „. Poeta ad Messalam » LAVDIS et assiduo vigeat CERTAMINE miles ». Inscriptio vetus. Fleetvv. 315. 1.

SEI . QVA . RENASCENTES . OPTANT . CERTAMINA . LAVDIS

ib. *redderent*) rursus ederent stato die.

7. *lacrimis*) Virg. Aen. xI. 89. » Post bellator equus, positis insignibus Aethon, It lacrimans, guttisque humectat grandibus ora ». Plin. vIII. 42.

» Amissos lugent homines (equi) lacrimasque interdum desiderio fundunt » . Sueton. Iul. c. 81. » Equorum greges . . pabulo abstinere, ubertimque flere.

ib. *vivite*) Ardelio legit. » Ite ». Sed in codice videbam mihi videre diserte scriptum. » Vivite ». Virg. III. 493. » Vivite felices, quibus est fortuna peracta Iam sua; nos alia ex aliis in fata vocamur ». Tibull. III. 15. „ Vivite felices, memores et vivite nostri, Sive erimus, seu nos fata fuisse velint.

9. *scelesta*) Iupiter ad furem IV. 10. » Tamen, sceleste, spiritu culpam lues.

10. *sorte tristi*) V. 1. » Tristem fortunae vicem ». IV. 5. » Tristis eventus premit ». Pullaster e scholà nuper egressus „ Sors est quod cuique obtigit » etc. Sed » sors » vicissitudo est, ut in provinciarum sortitionibus. Heic mallem ego » morte tristi » Auctor Octav. v. 10. » Haud umquam queant Nisi morte tristi nostra finiri mala „. Itaque „ morte tristi „ esset „ in morte „ aut „ praefinità mihi morte tristi.

ib. *fata deflebo*) Sup. F. XIX. v. 10. » fata deflesset sua. I. 10. » Fata deploras tua ». II. 7. » Casus quum fleret suos „. Iustinus XIX. 3. „ nunc sortem suam, nunc publicam fortunam deflet „. Deflere magis quam flere, ut in omnibus eiusmodi compositis Phaedro familiaribus. V. Reitz., de Ambig. p. 153. 154.

FABVLA XXII.

1. *in silvis*) III. 7. „ In silvis asperam vitam trahens „ .

ib. *copiae*) commeatus . De Corsicâ insulâ Senecâ exsul ad Helv. c. 6. „ Quid (hoc saxo) ad copias respicienti ieiunius „ ? Formicae domus „ copiosa „ dicitur Phaedro , IV. 23.

2. *prendens*) Ardelio legebat „ perdens petrâ „ . Sed in postrema edit. mecum legit „ prendens petram „ . Ita viderat in editionibus meis, quas expilat impius ! Voce satis acidâ patrem furti arguit crimine , qui patrem spoliavit .

3. *sensim demittit*) Lucret. lib. VI. „ In mare de coelo tamquam demissa columna Paullatim „ . Vide Burm. , comm. novo ad IV. 16. v. 19. In M. S. „ dimittit . Errorem in princ. edit. emaculavi. Catellus meus mihi legit vestigium , et tamen latrat .

4. *canceres*) M. S. „ cancri „ In emendationibus ardelionis hae sunt . „ Quorum inter villos haeserunt Cancri simul . Quorum inter villos simul ac Cancri inhaeserunt . Quorum inter villos Cancri simul ac haeserunt . Quorum inter villos simul haeserunt Cancri . Quorum inter villos simul haeserunt Cammari „ . O dura lectorum ilia ! Sed tandem aliquando lectionem nostram plagio impudente surripuit , ut solet . Priscian. lib. V. „ Cuius (Cancer) genitivus CANCERIS esse debet , ut cicer ciceris „ . Lucret. V. 616. „ Canceris ut vortat metas ad sol-

stitialeis „ . Vide Scalig. ad Fest. v. Canori. Vrsi canceribus victitant. Arist. Hist. anim. VIII. 9. Plin. X. 73. Vinc. Bellovacensis Spec. doctrin. XVII. 103.

5. *intortam*) Ardelio legit „ In terram arripiens excutit praedam maris „. Expl. „ Se arripiens in terram, h. e. proripiens „ quasi in terrà non sit, qui in litore scopulum prehendit, et vix crura vado immergit terrae contiguo. Sed egregia scilicet illa alia loquutio „ praedam maris » an petita ex tropaeo Caii Caes.! Fatetur Ardelio in praef. Codicis Perottini, et barbarum nescio quid infrendens iactat „ sat longum temporis spatium in evanidâ scripturâ dolore oculorum trivisse „ (praefiscini!) Iam credo. Caecutit enim saepissime, nec videt in meridie solem. Cur non vidit „ praedam intortam „ pilo ursino fuisse? Horat. II. carm. 13. v. 35. „ INTORTI CAPILLIS Eumenidum recreantur angues „? Cur vidit, neque pensitavit Vrso „ manus „ adtribui? Namque Vrsi „ manus „ nominat in Graecis Oppianus Cyneg. IV. 413. et 417., in Latinis Ovidius, Met. lib. 2., ac Plin. VIII. 36. Recte porro „ adripiens praedam manu „. Pariter II. 6. PRAEDAM RAPVISTI VNGVIBVS.

ib. *excutit*) in terram. Vide Burm. ad Petron. c. 128., et interpr. ad Phaedrum V. 5. v. 19.

6. *fruitur*) vescitur; proprie. Vide Serv. ad Virg. Aen. VII. 90. Donat. in Eunuch. IV. 7. Hoc sensu vocem usurpat Noster I. 22. III. 7. IV. 23. Iuvenalis I. 49. » Bibit et fruitur ».

ib. *vafer*) Ita in Codice, Ardelio emendat » vafre in

Et is ille est, qui me ait non expendisse verborum proprietatem, et genuinam Fabulatoris ignorasse sententiam! Nec vidit? Fab. I. v. 3. » Cui sic maligna », et Fab. XXVI. v. 4. » Illa contra pessima » II. 4. » Dolosa noto condidit se se cavo ». III. 16. » Hac est adgressa garrulam fallacià ». Stultus quidem Vrsus. V. Ovid. Halieut. v. 58. Sed in hoc vafer, quod ventri scit consulere. Plin. VIII. 55. » Neque alteri animali stultitia solertior ».

7. *stultis*) M. S. » stulto ». Emendationem nostram surripuit nebulo serotinus. Quid enim? Putabat arte Solipsorum proficere se; et plagiarii notam effugere, si prior in tempore homines toto coelo dissitos occuparet plagii calumnià? Praeterierunt Solipsorum tempora. Modestiam tantum nostram velim consideret is, qui » mobile lignum » nervis agitat. Augiae stabulum quot mihi suppeditaret triumphos! Sed de fatuis pumilionibus hos nolo. Qui latet post tabulam in pergulà, sibi caveat; praemoneo. Toto cantabitur orbe.

» Hunc ego . . . Sed motos praestat componere fluctus.

ib. *acuit*) II. Prol. » Acuatque se se diligens industria ». Sup. Fab. XV. v. 20. » Solers acumen mentis.

FABVLA XXIII.

1. *verbis*) cum emphasi quidam, scil. logis, strophis. II. 6. » Inducta verbis Aquila ».

ib. *solent*) Ita et I. 17., V. 5.

2. *divitis*) Ardelio emendat » devium » . An potuit sequi devia viator, qui properaret ? Sed » divitis » agros adposite Phaedrus dixit, quia Corvum dominus agri loquacem habebat, in quo luxus. Vide Burm. ad Petron. c. 28.

4. *gradi*) Ardelio scribit barbarica loquutione » gradum » ; meamque editionem ita sugillat » Nescio an » caepit gradi » quoad sententiam (leg. quod ad) et syntaxim aeque hic probari et teneri possit » . Quid sibi vult ? An non dicimus latinissime » coepit ambulare ? ire coepit » ? Annon dixit Phaedrus V. 7. » Incipiebat ingredier » ? Pudet de istis cum tenebrione tricari.

5. *sonus*) III. 18. » vincor sono . » Ridicule nebulo exhibet. » Iterum salutat, idem ex occulto sonat »

7. *quisquis*) Ex formula. In marmoribus viatores inducuntur qui mortuos salutant HAVE, quibus sepulti respondent, QVIS QVIS ES VALE. Vide Fleetvv. p. 287. 4. p. 271. 2. 4. 6. p. 306. 5. p. 302. 3. p. 178. 4.

ib. *par officium*) III. 7. » Praestare domino si par officium potes ». Corvi salutatio » officium » dicitur Plinio X. 43.

9. *tempus aliquod*) IV. 17. » Post aliquod tempus » .

ib. *illico*) In M. S. » illi » tantum superest ; Olim legebam » villici » in altera edit. exhibui » illico » et in tertia quoque. Ardelio mavult : » Et perdidisset tempus aliquot millium ». Bella quidem phrasis : » Tempus mille passuum » !

10. *Ostendit*) cum quadam ridiculâ iactantiâ. Sic idem Corvus I. 13. » vult vocem ostendere » ubi plura Burm. in comm. novô. Imitatur heic Phaedrus Ovidium Met. V. 294.

ib. *Corvus*) Phaedrus plane vidit celebrem illum Corvum salutatorem sub Tiberio principe, cuius recitat historiam Plinius X. 43.

11. *usque*) particula absolute posita vim habet denotandae perseverantiae in agendo. Catull. carm. 5. » Dein usque altera mille; deinde centum ». Adde Terent. Adelph. II. 2. IV. 6.

ib. *lusum*) delusum. Virg. » Spe carminis ambo Luserat ». Fabula Phaedri de Culice et Tauro v. 7. » Lusitque turbam ». Petron. c. 132- » Mortifero timore lusus ». Valerius Flaccus lib. IV. » Hoc pueri spes lusa modo.

ib. *intelligens*) V. 7. Equester ordo stultum errorem intelligit ». Fortasse melius. » stulti errorem ». Adde II. 5.

12. *pessime*) Corvus alitum pessimus. Vide Bochart. Hieroz. Part. 2. lib. 2. c. 10.

FABVLA XXIIII.

2. *proderet*) IV. 7. (ut quidem legendum conii-cio) » Post aliquod tempus alios adscribi iubent Legatos. Rumor superiora prodidit ».

3. *indigne*) Nugator Perottinus explicat » graviter, turpiter laesa ». Sed patet exponendum » indignis modis, quia non merebar iniuriam ».

4. *clamabat*) Alexander apud Senecam ep. 59. » Vulnus hoc hominem esse me clamat ».

ib. *quid*) in quo, et quantum.

FABULA XXV.

1. *Lacertam*) Lacertus viridis, ophiomachus, qui cum serpentibus pugnat. Vide Harduin. ad Plin. VIII. sect. 41.

ib. *adversam*) Homo meus expl. „ ex cauda non ex capite „ Vide ingenium! Atqui citat „ adversum flumen „ quasi non veniat cornu nobis opposito. Ergo prehensa fuit lacerta adversa veniens colubro: eiusque spiris impedita, nihilominus arrepto proximo surculo, atque ita armato capite elusit hostem inhiantem.

ib. *prenderat*) I. 22. „ Mustela ab homine prensa „. De mure IV. 1. » Adsiluit, et comprensus occubuit neci ». Sic recte Heinsius, Rittershusius, Bentleius, ceteri. Immo et I. 9. placet „ Comprensum ab Aquilà » Pariter quippe canit de accipitre columbam rapiente Virg. Aen. XI. 723. » Comprensamque tenet ».

2. *patulá*) Apuleius Met. V. p. 51. b. ed. Aldi! » Hiantem ingluvie profundà serpentem „. Linnaeus Syst. nat. edit. XIII. cl. 3. sp. 2. p. 380. » Serpentes praedam collo duplo crassiorem inguigitant, ob maxillas dilatabiles, nec inarticulatas „. Plinius VIII. 14. ex Megasthene tradit serpentes Indicos „ haurire solidos cervos taurosque „. Harduinus ille Pyrrhoni-

cus patulâ gulâ Graeculi mendacium deglutit.

4 *morsu*) I. 12. „ morsibus saevis. II. 3. morsu vehementis canis. „ Ita lego cum doctis viris, quia si poeta morsum respexisset, utique debuisset scribere *vehemente*, quod metrum respuit.

ib. *tenens*) I. 4. „ Et quem tenebat, ore dimisit cibum.

5. *avidum*) I. 13. et IV. 5. „ Avidis dentibus. »

ib. *solerti morâ*) III. Prol. „ Hebrique tenuit impetum dulci morâ „. V. 8. „ Effectus impediret ne segnis mora ». Mora politioribus Latinis non est ipsa cunctatio, sed quae res efficit ut moremur. C. Abronius Silo poeta antiquus, Anthol. II. 13. » Ite agite, o Danai, magnum paeana canentes. Ite triumphantes. Belli mora concidit Hector. »

ib. *fraenavit*) IV. 24. » Exigua quum fraenaret materia impetum » Lucret. VI. » Et mora, quae fluvios passim refraenat eunteis. »

6. *dimisit ore*) I. 4. » Ore dimisit cibum ». V. 10. » Praedam dimisit » I. 23. » Emisit ore caseum ». An » dimisit ? »

ib. *irritam*) quae minime iuvat, quasi non evenerit, effectu carentem, ut » irritos dolos » dixit I.23.

FABVLA XXVI.

Phaedrus sub Ove latet, sub Cornice Curtius historicus, quem proscidit etiam poeta II. 16. Futura is auguratus, ut Cornix divina. Plin. VII. ep. 27. De ipso Tacitus, Ann. XI. 21. » Longâ post hoc

senectà, et adversus superiores tristi adulatione, arrogans minoribus, inter pares difficilis ». Vixit sub Claudio, quem dicit ut » sidus » populo Rom. repente illuxisse, X. 9. et quidem » sideris » nomine salutatur Claudius etiam Senecae ad Polyb. c. 33. Frustra loquutum de Vespasiano accipies cum Vossio, Rutgersio, Ryckio. In tumultu Flavius longe aberat Româ. Ergo rectius illa de Claudio exponunt Lipsius, Brissonius, Tillemontius.

1. *odiosa*) II: 5. » Ardelionum natio sibi molesta et aliis odiosissima.

ib. *super ovem*) II. 6. » Scopulum super ».

ib. *consederat*) de muscà IV. 23. » In capite regis sedeo ». Aves » sedentes » reperies I. 3., II. 4. Picum » sedisse » in capite Tuberonis, miro consensu loquendi, scribunt Varro ap., Non. v. Picumnus, Val. Max. V. 6., Plin. H. X. 18. De columbis Virg. Aen. VI. 192. » Et viridi sedere loco ». Apud Suet. in Claud. c. 7. legitur aquila » humero consedisse ». Cave putes » considere » de pluribus dici simul sedentibus; nam etiam de singulis recte ponitur. Auctor, IV. 17. Columella VII. 3. Iustin. xxviiI. 4. Virg. Georg. IV. 435. Plin. III. ep. 1. Val. Max. V. 8.

3. *Idem*) Paedagogum audi varias lectiones ridicule in pede uno ructantem. » Id, inquit, si mordaci. Si iracundo. Id, inquit, acri si tu. Id, inquit, si latranti. Id, inquit, si dentato »; atque in postremà tandem scripturà conquiescit, superdicens: » Dentatus est dentibus instructus ». Nesciebam.

4. *contra*) I. 1. et 2. V. 10.

ib. *pessima*) Sup. F. xxviiI. v. 12.

5. *inermes*) bestias. I. 31. » genus inerme » vocat columbas. De ranis, I. 2. » fugitant inermes » Optime sic legit Gudius. Frustra Schefferus defendit » inertes. »

ib. *equidem* I. 1. » Equidem natus non eram. II. prol. v. 8. » Equidem omni cura morem servabo senis » II. 7. » Equidem, inquit alter, me contemtum gaudeo ». Sed iam praedixi mihi adridere magis » eadem et ».

ib. *cedo*) III. 9. » Cedo invidiae. h. e. nihil audeo, locum do, non obsisto.

ib. *fortibus*) bestiis. I. 21. » Fortes indigne tuli Mihi insultare.

6. *scio*) III. 6. » Namque ubi strigandum est, et ubi currendum, scio ».

ib. *lacessam*) Tundit cornix ovibus insistens, ut vermiculis alatur, quae innascuntur velleribus. Buffonius. H. N. vol. 45. tom. 5. p. 53. »

7. *tot per annos*) Ineptit plagiarius et invidus Editor Perotti haec sua proponens. » Ideo senectam multos et annos prorogo, Ideo senectam annos in multos. Ideo mihi senectam in annos ». Hesiodus novem aetates dat cornici, triginta sex cervo, centum et octo denique largitur corvo. Rectissime, si aetatem de anno accipias, non de vitae spatio. Vide cl. Gueneau. Contin. Buffon. H. N. vol. 45. t. 5. p. 53.

ib. *prorogo*, Horat. I. ep. 2. » Vivendi prorogat

horam ». Art. Poet. v. 346. » Prorogat aevum ! » Carm. saec. » Proroget aevum. »

FABVLA XXVII.

I. 2.) Nugivendulus ita hariolatur.
» Quum servus sceleris multaretur noxil, *vel*
» Quum servus secretam admisisset noxiam,
» Vxorem domini quod corripuisset sui,
vel » concrepuisset, despuisset, depsuisset, despuisset quod, corrupisset. »
» Idque ille sciret, coram circumstantibus,
» Places tibi inquit? nam quum non debes places!
» Sed non impune, quia quum debes non places.

In lectionibus, quas vocat, exponit hoc pacto ». Tu quum placere tibi non debebas .. tum placuisti quia feceris. Id tamen haud impune factum est. Nam quum tu placere tibi magis debuisses eo confecto, quod voluntatem tuam satisfecisses, et genium explevisses, tum contra facti poenitens, malaque animi conscientia actus tibi ipsi amplius nequaquam places. » Haec ille, et subdit ». Ista autem interpretatio quanti facienda sit, nescio ». Ne pili quidem, inquam. Quid enim sibi vult blatero? Nisi si cum viris doctis agens permissum sibi arbitretur, quidquid in buccam venit, sensu nullo, eloqui, ut esse consuevit in scholà *inane cymbalon iuventutis*. In secundà rhapsodià crambem recoquit, et nescio quid de » delectatione » et » reà conscientia » balbutit, iuxta Tamburinum, et Bonacinam. Admiratus sum facundiam

viri. At ego longe in alia discedo! Servus nequissimus in secreto cubiculi simulans argentum numerare dominae, ipsam constupraverat. Dominus quum negotium sibi notum circumstantes latere vellet, obscurius cum furcifero colloquitur, pudori suo parcens. Ain' tandem, inquit, mastigia! Satin' hoc tibi placet, quia non debes? quia satisfecisti? Nec tamen impune feres. Poenas mihi adhuc debes, atque hae tibi rationes mecum dispungendae adhuc supersunt. Iam puto hoc tibi non placet: et conscientiâ instantis poenae vel nunc discruciaris.

5. *placet?*) M. S. » places ». Muretus Var. XV. 8. » Quum in manifesto peccato aliquem deprehenderent, ita ut ne ipse quidem factum suum defendere posse videretur, ita eum interrogabant: Placet hoc tibi »? Exempla rem in liquido constituent. Thais apud Terent. Eun. V. 2. » Satin' hoc tibi placet »? Cicero Att. VI 6. » Sed heus tu! » frumenta in populum Athenis? Placet hoc tibi? „ Nos dicimus. » Che te ne pare »? Dacieria vertebat citatum Terentii locum. » Aprouves-tu cette action? »

ib. *non debes*) scil. quia dominae satisfecisti. Est enim „ satisfacere „ verbum ambiguum. Petron. c. 65. „ Ego tamen et ipsi meae dominae satisfaciebam. Scitis quid dicam; taceo, quia non sum de gloriosis „. Adde c. 57. 75. 77.

6. *non impune*) scil. feres. Irâ praefocante, verbum supprimit.

ib. *mî debes*) h. e. poenas. Qui scelus patrat se » obligare » dicitur, quasi aere alieno, atque etiam

» noxius et obnoxius » ut qui aliquid acceptum refert. Ergo ut debitum poena » exigitur » et parte aliâ » solvitur, luitur, penditur ». Sic Noster IV. 10. » Olim quum adscriptus venerit poenae dies » h. e. solutionis. Fata enim in tabulis adscribebant debitum scelestorum. Vide Pacati Panegyr. c. 18. Et Graeci, et Hebraei ita loqui amabant. Aliter explicabam sup. ad Fab. xvI. v. 4.

FABVLA XXVIII.

Anonymus, et Romulus Nilantii ex Lepore Lupum faciunt. Literator Perottinus musteus in primâ rhapsodiâ » Lupum » intrusit, in secundâ eiecit, quia proprie lepores non lupos venamur. Egregia sane ratio mutati consilii! Ego leporem retineo, quia celeripes proponitur, et vepre latitans sequente venatore: immo quod codicis optimi corrumpere scripturam sit religio, ubi nil necesse.

2. *Celeri pede*) IV. 17. » Non celeri pede ». Varro de L. L. III. 12. » L. Aelius putabat dictum leporem a celeritudine, quod levipes esset » v. Gell. I. 18. Quintilian. I. 6. Sed hi, et Varro ipse » leporem „ adpellatum autumant, quia » Leporis „ vocabatur Siculis atque Aeolibus, et Graecis » Nepus „ de quo consule Salmas. in Solin. col. 200. 201.

3. *veprem*) Ovid. Met. V. 626. quem locum praeoccupavit amicus noster. „ Aut leporem qui vepre latens hostilia cernit Ora canum „.

ib. *Adreperet*), Literator » irreperet, repererit „.

2

Sed non „ irrepserat » lepus, sive intraverat, qui statim cum bubulco loquitur, ab eoque ut securus intret monetur. Denique illud » repererit » lepidissimum est omnino!

6. *feci*) Nihil depastus sum. Sata enim lepusculi solent vastare. Vide Hygin. Poet. Astr. II. 33., Eustath. in Dionys. Perieg. p. 71.

ib. *retro Late*) Te absconde post me et veprem. Est enim „ Late „ imperativus modus verbi „ Lateo „ productâ heic secundâ syllabâ: Literator novitius „ Et ne timeret rusticus, Et rusticus ne timuerit, Et rusticus ait ne time, Late ait securus „. Sed in secundâ rhapsodiâ. „ Et rusticus, ne timueris, Late securus. „

7. *securus*) III. 20. „ Putabat se post mortem securum fore. »

ib. *iamque*) Iam iamque, illico, dum haec aguntur.

ib. *sequens*) Virg. Georg. I. 308. „ Auritosque sequi lepores „. Germanicus in Arataeis. „ Auritum leporem sequitur. „

10. *demonstrat nutu*) adsignat. Vlysses Diomedi ostendit Achillem muliebri vestitu inter ancillas Lycomedis. Hoc ita Statius effert Achill. 2.

„ Nullaque virginei servantem signa pudoris
„ Defigit, comitique obliquo lumine monstrat.

11. *e conspectu*) I. 16. „ Tu de conspectu fugere veloci impetu „.

12. *Ecquid*?) Equid ais, lepuscule? Age, loquere. Nam plene est. QVID AIS? Vide Fab. X. v. 8.

Ita trepidos adoriri solebant, et ad loquendum excitare. Petron. c. 181. » Quid est? inquit, fastose! Ecquid? Bonam mentem habere coepisti „? Et mox » Quid est? inquit, paralytice! Ecquid? Hodie totus venisti „? Horatius I. epist. 18. v. 80. nos monet, ut amicum defendamus, additque v.82. „ Dente Theonino quum circumroditur, ECQVID? Ad te post paullo ventura pericula sentis „? Atque ita expono exempla alia a literatore congesta, qui ineptissime docet » ecquid » poni pro » num, numquid, an „: nec videt » num quid »? valere pro » num quid regeris? num aliquid habes quod dicas?

ib. *gratum*) I. 22. „ Faceres si caussâ meâ, Gratum esset. „

13, *gratias*) M. S. » me maximas gratias ». In edit. principe anni 1808. restitui „ maximas me gratias ». Literator edicit gravissime in edit. anni 1811. „ Scribendum est: maximas me gratias: scil. ob leges carminis ».

15. *oculis priveris*) Democritum se „ privasse oculis „ scribunt Cicero De Fin. V. 29. et Gellius X. 17. Item Val. Max. I. 1. » Milites flammâ obiectâ privavit oculis ». Sub Aesopi nomine videtur citasse Phaedrum Io. Sarisberiensis, Policr. VII. 24. » Dum utroque (oculo) privetur. „

ib. *perfidis*) An „ perfide? „ Quaedam subesset elegantia. Catull. carm. 28. Iam me prodere, iam non dubitas fallere? Perfide! „ Virg. Aen. IV. 305. „ Sperasti, perfide! „ et v. 366. „ Perfide! sed duris genuit te Caucasus horrens Cotibus „. Noster quo-

que adsolet ita obiurgare IV. 23. „ Quid horum simile tibi contingit, rustica? » Adde II. 11. et 15. IV. 6. et 10.

FABVLA XXIX.

2. *iniuriis*) Catull. carm. 83. „ Amantem iniuria talis Cogit amare magis „. Terent. Eun. I. 1. » Non perpeti meretricum contumelias „. L. Afranius in Vopisco „. Dum me morigeram praebeo; Denique aliquid debitâ operâ controversiae Concinno: laedo interdum contumeliis „. Adde Horat. II. serm. 7. v. 89. et vide Gonsal. ad Petron. c. 93. Literator ex Vlpiano monet heic iniuriam esse quae non iure fiat, et ex Rhet. ad Herennium, iniuriam corpus, aures, aut vitam violare. Tantam hercules doctrinam suspicio.

4. *Sexcenti*) Catull. carm. 11. » Quos simul complexa tenet trecentos „. In primâ edit. anni 1808. supplebam „ Plures, et ait, muneribus contendant licet „. Is, qui de plagio conqueritur, bonus vir, anno 1811. ita locum concinnat. „ Sic infidelis: plures muneribus licet Contendant ». Romulus Nilantii heic pro Sexcentis habet » Innumerabiles »: An melius? » Innumeri, inquit, rivales ». Et bene sonant latinis auriculis » innumera munera », neque exempla deessunt.

ib. *contendant*) Romulus Nilantii » Quamvis innumerabiles iuvenes multis muneribus circa me contendant, ego te plus omnibus illis diligo; Cui ille

iuvenis; Et ego te, lux mea, vehementer diligo ». Literator citat Martial. vII. ep. 41. » Muneribus cupiat si quis contendere tecum ». Sed alio sensu poëta loquitur, scil. si quis mutuo et vicissim munerantem remunerari cupiat. Hac e.d. signif. P. Syrus v. 314. » Humanitatis optima est certatio ». Iustinus XV. 2. » Donis muneribusque inter ipsa bella contendebant. » At Phaedrus certasse ait rivales inter se, quis mulieri munera missitaret gratiora vel maiora. Atque hanc significationem illustrabit Plautus, Milit. III. 1. » Illi inter se certant donis; Ego haec mecum mussito; Bona mea inhiant; certatim ideo nutricant et munerant ».

8. *iucunda est*) Vox nempe illa » Lux mea ». Iuven. vI. 196. » Quod enim non excitat inguen Vox blanda et nequam? digitos habet ». Alibi placuit » iucunda es ». Lector eligat. Sentenția eadem Catullo. » Perfida! sed quamvis perfida, cara tamen ».

FABULA XXX.

1. *effugere*) IV. 1. » Qui saepe laqueos et muscipula effugerat ». Adde I. 8., et 22.

ib. *Fiber*) Plautus ap. Festum v. fiber. » Sic me subes quotidie, qua Fiber salicem ». Leg. » quasi fiber » h. e. me circumrodis ut salicem subedit fiber. Victitat enim cortice salicum. Vinc. Bellov. Spec. Doctr. xvII. 80. Linnè Syst. nat tom. 1. cl. 4. sp. 23. A fimbria vel fibra deduxit fibrum cum Varrone Thersites plagiarius; sed fibrum dixit Varro antiquis

dictum quidquid extremum esset, nec meminit fimbriae aut fibrae. Dicitur Fiber et Beber, claro indicio primam literam ex digammate ortam. Atque IBER sive EBER aquam significat, unde stagnorum incolam puto adpellatum, et longam processisse verborum familiam » Tiberis, imber, hibernus, nimbus » etc.

2. *loquaces*) Taxat, ut solet, Graeculos, quorum loquacitatem passim veteres reprehendunt.

3. *bestiae*) Ne cogites ineptum atque a proposito alienum quod heic de Graeca fibri adpellatione interponitur. Iam vidimus in Coniecturis de vità Phaedri, hunc illi fuisse morem, si oblique vellet amicis aliquid reconditum indicare: exemplo luculento in Prol. lib. III. v. 27. Aliud simile heic vides. Ludit poeta, sed non sine felle. Tiberius Drusus adolescentulus Tiberii Aug. filius perstringitur, cui nomen CASTORIS adulatores in comitatu Caesaris indiderunt, quod solitus esset pugnis mulcare obvios. Dio lib. LVII. Adde Tacitum, Ann. IV. 3. et ibi Lips. p. 438. Atque has fuisse consuetas blanditias in puerili isthoc furore excusando, probat lapis egregius Puteolanus, quem retulit cl. Mazochius in Vindiciis Act. S. Ianuarii contra Stiltingum Iesuitam pag. 139. not. 1.

D. M
AVGVRIO . GYMNICO
INCOMPARABILI
DVLCI . EXSITIOSO
VIXIT . ANIS . II . M. VII
AMATORES . HOC
NON . MERENTI . F

Magnus ille Mazochius (quem Andresius laudat, quasi ex paucis tabulis in viciniâ Neap. repertis magnum volumen commentarii extudisset), divinus inquam Mazochius, adscripsit » GYMNICVS. Notat pueri lascivientis pugilatum ». Adiicitur » exitiosus » per blanditiam, ut posuit quoque Martialis, VI. 21. Denique, comites Tiberii Phaedrum heic pupugisse suadent illa Taciti Ann. IV. 58. » Arctò comitatu .... Liberalibus studiis praediti, ferme Graeci, quorum sermonibus levaretur ». Accedit Suetonius, Tiber. c. 56. » (Zenonem, et Seleucum) convictores Graeculos, quibus vel maxime adquiescebat ». Hinc intelligis, quae fuerit in Tiberii domo » Classis Graecorum » (ibid. c. 46.), ut non sit opus Turnebi corruptelâ, qui emendat » Classis gratorum ». Tactos quoque Phaedro hos ipsos » abollarum » vocabulo, in libri II. epilogo alibi docebo.

4. *vanâ*) Copiosam quidem prae Latinâ linguam Graecam fatetur Phaedrus cum Quintiliano XII. 19. Macrobio II. 9. aliisque; sed copiam illam, ut » loquacem et vanam » reprehendit. Nihilominus, et quod ad copiam, latinae linguae Cicero palmam tribuit, de Finib. lib. I. c. 10., lib. III. cap. 5., et alibi. At ego in isto novo Phaedri versu potius legerem : » Vani qui iactant » quia in M. S. est ... *i*. Literator mallet » Hi, qui se iactant de verborum copiâ. »

5. *Abripere*) Buffonius H. N. vol. XXVI. tom. XI. p. 28. putat Aelianum primum omnium has

nugas effutiisse, Hist. An. XI. 33., ex Aeliano fabulam ceteros hausisse ; credo Silium , Iuvenalem , Dioscoridem , Solinum , Apuleium , Ammianum , Tertullianum , Servium , Isidorum . Quod si verum , iam iste Apologus Phaedro abiudicandus videretur , quia Sophista ille Praenestinus ineunte Christiano saeculo III. floruit. Vulgarem tamen opinionem exsibilasse Sextum medicum ait Plinius , VIII. 30. XXXII. 3. nempe , ut opinor , Trebium Nigrum , qui fuit in comitatu Luculli ideoque in Ponto fibros viderat (Idem IX. 30.) . Is ipse Sextus Niger dicitur Dioscoridi , et Herotiano ; plenisque , ni fallor , nominibus audiit Sex. Trebius Niger . Ergò iam ante Lucullum anilis fabula pervulgata est. Immo et Cicero ipse in fragm. ap. Servium ad Georg. I. 58. et Isidor. XII. 2. » Redimunt se fibri eà parte corporis , propter quam maxime expetuntur » . Id etiam narrat Strabo , et Ovidius de Nuce v. 165. Ergo si aetate Ciceronis, et Luculli , si tempore Strabonis , et Ovidii eunuchos se fibros facere vulgus credidit , potuit Phaedrus hac de re Apologum sub Tiberio cudere . Ceterum inde ortus error , quod procul conpiciantur castores , quasi velint sibi partes evellere , quum tamen binos ad inguina folliculos fellitent , quos » putorios cellulosos » vocat Linnè Syst. nat. 1. I. cl. 5. sp. 23. Vide et Rondelet. de piscib.

7. *Divinà*) M. S. » Divini quod ratione fieri non negem » . Sed me videor legisse , ut scripsi . Heio literator » divinam » sive providam fibri ac divina-

tricem rationem interpretratur. Ergo praeluxit Phaedrus Rorario, qui » ratione uti bruta animalia » per iocum contendebat. Sed, re verà homo meus, ignarus linguae Latinae et philosophiae, mirifice ineptit, ut solet. Cur non meminit mundum Stoicos » rationale » putasse animal? Ideo Natura, Divinitas Stoica, non nisi RATIO in porticu adpellata est. Seneca ad Helv. c. 9. » Incorporalis RATIO ingentium operum artifex ». Phaedrus ergò Stoicorum particulo Naturam deam hoc efficere scripsit, ut bestia sibi caveret ab interitu. Eadem recurrit loquutio IV. 14. » Rogavit alter, tribadas et molles mares, Quae RATIO procreasset ». Ibi coniicio scribendum » Quî Ratio » scil. Quomodo Natura. Homines enim » Natura » in lucem effert, quae Ratio est. II. epil. v. 16. et sup. Fab. III. v. 1. 2.

8. *vocat*) revocat. Ita » vocare » pro „ revocare habet Virg. Aen. III. 101. Horat. IV. carm. 5. Epod. IV. v. 75. Ad rem de Canibus Ovidius, Halieut. v. 78. » Et nunc demisso quaerunt vestigia rostro, Et produnt clamore feram, dominumque vocantem Increpitant ». Vulgo perperam » vocando ». Visà scil. ferà, et detectis nare vestigiis, si dominus revocat, oblatrant, eumque increpare videntur, sicuti in venatu quotidie experimur.

11. *tutis*) II. 7. » Tuta est hominum tenuitas » Lucanus de Amyclâ paupere lib. V.

» Securus belli. Praedam civilibus armis
Scit non esse casas. O vitae tuta facultas
Pauperis! Angustique lares, o munera nondum

» Intellecta deûm !
Male vulgo legitur » Pauperis, angustique laris !

ib. *nudo corpori*) h. e. nudo homini. Sic expono Petron. c. 119. » Nullum sine pignore corpus. Adposite Apuleius Met. lib. I. » Quid viatori de summâ pauperie latrones auferre possunt? An ignoras, inepte, nudum nec a decem palaestritis despoliari posse »? Seneca ep. 14. » Nudum latro transmittit. Etiam in obsessâ viâ pauperi pax est ».

FABVLA XXXI.

1. *Papilio*) Editor Perott. » Papilio Vespam praeter volitantem videns ». Scilicet Vespa praeter volaverat, ac procul discesserat, et Papilio ipsam, quae se iam de conspectu abstulerat, longo detinet sermone. Belle quidem!

2. *a mulis*) Ex mortuis asinis oriri Vespas dixit Aemilius Macer, teste Servio ad Virg. Aen. I. 439., qui quidem Macer Augusti aetate floruit, et Nicandri exemplo scripsit Theriaca, ubi de Vesparum cecinit ortu, ut fecerat quoque Nicander. Sed poeta noster de mulorum exuviis nasci Vespas opinabatur, ut disertissime patet ex v. 8. » Tu qui fuisti mulus».

ib. *membra*) Operae pretium est heic subsistere, et audire iucundam inchoati literatoris cantilenam. » O sortem iniquam ait, damnum de barathris. O sortem miseram et ductam e barathris! O sortem iniquam ait et damnum e barathris malum. O sortem miseram, et ductum e barathris malum ». Sed

in secundo carcinomate legit . » O sortem miseram ductam de barathris, ait » Quorum ex reliquiis animam nos accepimus ». Exponit autem barathra » sericos folliculos, quibus bombyces antequam papiliones fierent se includunt» (quasi haec nosset Phaedrus illa aetate !). Sed cur folliculi sunt barathra ? Ipsum audi . » Folliculi respectu sui re vera sunt barathra ». Putares Claudium loqui, nisi sermo esset barbaricus. Iam ex lexicis, ut probet folliculos esse barathra, colligit sedulo alia argumenta. Barathrum dicitur » Venter helluonis, Vterus mulieris, Meretrix ». Ergo etc. Item praedixerat in priore libro. Barathrum est » Vas ad muliebrem ornatum, Vas vimineum, Puteus, in sacris quoque Scripturis Sepulcrum etc. Ergo etc. Quid quod Cerberus significat » clamorem foveae ? Quid quod Tartara Claudianus adpellat » barathrum ferale » ? Et quidem feralis, si nescis, est idem quod » funebris ». Rides? Ni credis, praesto est Ovidii auctoritas quinque in locis, aliisque plurimis. Tunc Ovidii auctoritatem defugies ? Ergo folliculus bombycis est barathrum. Denique ne mireris lector, sericum opificium Phaedro notum fuisse. Certe Hieronymus Vida Episcopus notum habuit, et » aliquam veterum fabulam spectare potuit, et eam etiam Auctor noster ». Ante Augustum scil. nota isthaec fuerant Latio. Huc redit disputatio de folliculo bombycis, quam personatus adversarius huic loco adtexuit. Nec puto immensae eruditionis parergon ab ardelione nostro elabora-

tum. Claudio Caesari opus tribuerem, nisi Biblia et Vidam Episcopum nominasset!

4. *loquens*) Ego scil. praelio fortis si de praeliis paternis loquamur. Sed ardelio » Ego eloquens in pace » Homo ingeniosissimus eloquentem ait bombycem, quia „ bombum et strepitum quemdam seu clamorem edit. » Nec diffiteor. Ipse enim rhetoricatur bombo bombycino. Sed clamores papilionum sane miri.

6. *levitas*) Martinius v. Papilio » Papilio habet alas quasi pelles fragiles, quae tactae velut in favillam abeunt.

ib. *volatilis*) Thersites legit ex ingenio. » Volito cinis », scil. ex reliquiis sepulcri. » Velim docuisset cur Papilio sit cinis mortuorum, et tamen volitet.

7. *mulus*) Homoeomeriam Anaxagorae innuit.

8. *visum est*) IV. 23. » Quum visum est mihi ». III. 7. » Quum visum est, vagor ». Apes adversus lacessentes utuntur spiculo; vespae obvios quosque ultro impetunt. Vide elegantissimi Florian lib. V. fab. 15.

ib. *fixo*) M. S. » infixo ». Thersites securus praetervolat, et nihil sentit. Sed quum secunda in » aculeo » producatur, oportet emendes ut feci.

ib. *aculeo*) dolone, ut III. 6. Spiculum vocat Ovidius, Telum Sulpicia, ex eâque Adhelmus epigr. IX.

9. *moribus*) Contra. IV. 4. » moribus alienum suis ».

10. *Non*) V. 10. » Quod fuimus laudas iam, damnans quod non sumus ». Ita lego.

FABULA XXXII.

1. *Terraneolam*) Etiam nostris » terragnola „ ceteris Italis » lodola ». Dicitur alauda Latinis, et galerita ob galerum, cassita ob cassidem, atque in mythicis Scylla, et Ciris. De eadem vide Buffon, H. N. vol. 49. tom. 9. p. 56.

2. *componit*) scil. ponit nidum conquisitis surculis et paleis. De perdice Ovid. VIII. Met. » Ponitque in saepibus ova ». Horat. IV. Carm. 12. » Nidum ponit ». Noster II. 4. » Fetum posuerat ». De nido terraneolae Gellius II. 29. » Habitat (cassita), nidulaturque in segetibus, id ferme temporis ut adpetit messis, pullis iam iam plumantibus. Ea Cassita in sementes forte concesseaat tempestiviores ». Emendant » congesserat » nidamentum scil. Mitto dici non posse » nidulari in sementes » neque ergo » congerere ». Sed quis putet avem tunc nidulari quum plumant pulli? Ergo legamus. » Pullis iam iam plumantibus, ea Cassita in sementes forte concesserat » etc.

3. *forte occucurrit*) M.S. » occurrit ». Ita etiam legebatur III. 7. » Forte occurrit », ubi restituit Bentleius » occucurrit ». Calculnm suum Bentleio nuper adiecit Vir magnus, qui Perottum vulgavit; alioqui Bentleio non constasset auctoritas. Tandem repertus qui Bentleium succenturiaret.

4. *Quâ visâ*) II. 1. » Feroque viso retulit retro pedem.

ib. *pennis*) I. 31. » Et celeritate pennae vitavit necem.

ib. *se sustulit*) » Se elevavit », ait clamosus Papilio. Probe! Citat ex Horatio » Mercurius me sustulit ». Effecte! Sed Noster in Fab. de Culice et Tauro. » Heic se per auras sustulit penni levi » . Adde Ovid. II Met. 709. et Epist. xvI. 71.

5. *Salve*) I. 29. » Salve, inquit, frater ». Perottinus ardelio » Salutandi formula, et proprie quum amici invicem occurrerent. Vide Terentium etc. » Absque eo fuisset, tantum Latinitatis arcanum ignorassemus. Citus haec subscribe libello.

ib. *fugisti*) Ardelio. » Fugere aliquem est fugere ab aliquo », Scholium pernecessarium plagio non surripui, ut omnia, quae plane gemella.

7. *Grilli*) Linnaeus Syst. nat. t. I. cl. 2. ord. 6. n. 105. » Victitans alauda insectis. »

8. *multum*) Ita in trib. edit. Fingit Papilio ita se supplere. Nunc malo » nimium. »

ib. *copia*) Horat. II. ep. 18. v. 109. » Provisae frugis in annum Copia.

9. *Propter*) M. S. » Propter . . s. . . tos mores ». Ergo non male supplevisse mihi videor. At scholasticus noster superciliosus emendat. » Astutos propter mores ». Addit » mores astutos » esse » urbanos ». Quod negaverim. Noster quippe adversarius satis est » astutus » ut per ambiguum sermonem suadeat se reperisse Phaedrum hunc novum, me numquam Codicem vidisse et exscripsisse, sed incepto plagio eius ipsius compilasse scriniolum. Nec tamen» urbanus» est, qui hominem ignotum et innoxium ultro proscilderit in duabus suis praefationibus. Tertium quoque libellum famosum parat, et iam contremisco miser!

Sed tamen fieri potest, ut solido illidat. Videat IV. 7.

10. *bene*) vere . » Bonum » idem quod » verum » Horat. I. ep. 7. v. 98. et ep. 12. v. 23.

11. *Non sum*) M. S. » Non s. . . p. . . p. . . tibi, sed su subdio ». Legit homo iucundissimus ac disertissimus » Non sum tamen propius tibi, sed sum sub dlo ». Porro dium brevi priore syllabâ tuetur. I. quia ubi longa est, legitur, aut saltem legi debet » divum. 2. quia Graecis syllaba prima » dios » est anceps. 3. quia Io filia Inachi nunc primam producit, nunc brevem habet. 4. quia in Dianâ idem accidit. 5. denique et in voce » plateâ ». Tam pulcra ista atque ingeniosa videntur, ut nihil supra. I nunc, et obloquere!

13 *Quin*) M.S. » Quin seq. .. et .. tibi .. c. . m. . » Glottochrysius legit. » Quin sequor, et sic vitam tibi committo meam ». Neque alius haec explicabit, opinor, quam ipse, qui reperit. Ego meum versiculum expono hoc pacto. Cur potius, mea Vulpecula, praedam tuam non sequeris? Immo et ipsa meam praedam curae tuae committo, grillos nempe, etc., atque hanc tibi demando provinciam. Huc facit sup. XIX. v. 5. et seqq.

ib. *sequeris*) Vide sup. Fab. XXVIII. v. 7.

ib. *committo*) I. 14. » Cui calceandos nemo commisit pedes ». I. 31. » Qui se committit homini tutandum improbo. » Terent. Andr. I. 5. » Bona nostra haec tibi committo ». Locum hunc Terentii Glottochrysius adtulit. Ne me arguat, ut solet, plagii, hoc fateor; res enim est magni momenti.

V. CL.

VINCENTIO FOLLINIO
BIBL. MALLIABECHIANAE
PRAEFECTO DOCTISSIMO

I. A. CASSITTVS S. P. D.

Quod, Vir doctissime, iure postulas, paucis exsequor. Novam Perottini codicis editionem atque ipsum porro codicem describam, denique et Perottum tibi paullo suspectum tuebor. Patere tamen prius, ut prolixae tuae erga me voluntati me obnoxium profitear, tibique de tanto in me literasque amore ex animo gratuler; qui non solum rescribere, sed optimis consiliis tuis me nescio quomodo titubantem regere non es gravatus. Notitiam quoque praemitti sinas de fluctibus, quos in simpulo excitare conatur Perottini codicis editor novissimus, nunc me plagii nunc inscitiae fronte arguens perfricta, qui lectiones omnes editionis nostrae prioris impudentissime suas fecit, qui denique non eruditione solum in his literis, sed omnino sensu communi destituitur. Atqui, quum quidam superciliosi, ibi a me detectum Phaedrum dolerent, ubi ipsos fefellerat, iuvenem submiserunt ignotum, eumque e scholâ triviali protractum; munusculis et pollicitatione gloriolae, ac blanditiis perpulerunt, ut exiret in publicum, calumniasque effutiret. Cui certe rei non nisi hominem inchoatum delectum oportuit. Nemo quidem, cui sanum sit sinciput, ausus id foret. Nota enim urbi, provinciis, immo et exteris Cassitti fortuna in detecto Phaedro, nota viri honesto loco nati sincera integritas, notae aemulorum sycophantiae, et rus illud verum ac barba-

rum, unde praetereuntium digito monstrantur. Notissima inquam, heic praesertim, omnia. Quum enim primus ego sensissem invenissemque aureolas in libro fabellas auctoris nostri, quamvis aliquando, nec tamen saepe, fugientes codicis literulas male captassem, defraudare tamen thesauro nolui remp. eruditorum, atque anno 1808. libellum emisi, qui mira hominum desideria, miros plausus excitavit. Satyriscus accitus ex provincia Neapolim, cum quibusdam agit, homine nigerrimo suasore atque instigatore, ut editionem aliam sibi liceret adornare, quae nostram infuscaret, perderetque facti memoriam. Itaque anno 1808. coeptam, ut iactat, editionem, statim a secunda nostra, hoc demum anno 1811. divulgavit bino ac spisso volumine. Cuiusmodi sint commentaria lubens praetereo, ne Tibi, Vir Cl., fastidium pariam. Speciminis loco haec sint »'. Ad FAB. I. ROGARE est petere cum precibus. Plinius. HONESTE decore, decenter. Varro. Sueton. QVAMVIS Quantumvis, etsi.. licet. IMPERTIAR. largiar. tribuam. Cic. Ad FAB. II. NATVRA. Caussa, qua res omnes gignuntur et fiunt. Lucret. Cic. Plin. Saepe pro Deo opt. max. et Iove sumta fuit. Seneca, Plin., Lactant. FINGERE, arte et solerter componere. Sallust. Cic. GENVS MORTALE. Genus humanum, homines. Non quod soli ex animantibus morti obnoxii sunt, sed quod nos inde nomina desumimus, unde maxime tangimur et adficimur. Ovid. » Atque ita porro volumen perficit, et legentes conficit expilans Forcellinum, et Lexicographos, deque suo plena manu incredibilia errorum portenta disseminans, et ineptias Claudianae omnino fatuitatis. Plura etiam in M. S., quem edebat, codicem sibi permisit. Indicem,

ad libri calcem relegavit, qui in apographo antcibat. Ordinem praeterea carminum perturbavit, suoque arbitratu in frusta dissecuit. Parte I. collegit editas Phaedri fabulas duas et triginta, ac Volusiano commentario degravavit. Quandoque » ineptissimo plagio » ut eius utar verbis, amici olim nostri Viti M. Giovenazzii Viri Cl. adnotationes in edit. Phaedri Desbillonianam expilat, easque raro citat, saepe corrumpit. In Partem II. redegit xxxII. fabulas novas, quas nempe de turbâ selectas emiseram. Stulto tamen consilio Fabulam II. loco movit, et pro epilogo ad num. xxxII. detrusit, quae nullam epilogi speciem praesefert, sed epimythii. Huc accedit, quod libri II. epilogum in secundo volumine Prologum facere ex libidine ausus est, dum tres illos tantum versiculos ineditos in epilogum vertit. Quid? An fabulae a me repertae librum aliquem constituerunt epilogo instructum? At ipsae profecto, nunc ab uno nunc ab alio ex Quinque libellis exciderunt; numquam nisi hoc numero visis, ut ex Avieni praefatione liquet. Sed ardelio rationes facti pulcherrimas adfert. Ipsum audi. » Nam (tres versiculi, seu Fab. II.,) satius ad finem quam ad initium libelli, satius post fabellas, quam inter eas immixti collocari videntur ». Nihil habet quod addat? Papae! Invictis pugnat argumentis! Mitto haec; unum illud monens, et hac Parte II. ardelionem » plagio ineptissimo » interpunctionem, ac lectiones paene omnes editionis nostrae principis fuisse suffuratum, quae ipse omnia, tamquam suas emendationes passim ostentat. Parte dein III. complexus est xxxvI. apologos Avieni iam vulgatos. Atque hoc potissimum in commentario solutus fraenis

debacchatur, risumque usque ad lacrimas exprimit. Ex. gr. ait p. 206. ollam luteam timuisse ne ab aenea frangeretur, » quia gravia, ut fit, laedunt levia »: p. 208. Fortunam dici » providam », quia » providet honori suo »: p. 194. » viatorem qui per medium orbem ambulat, ubicumque sit, in medio orbe esse»: p. 38» orationem nexam evidenter esse prorsam», et cetera innumera vere Claudiani saporis. Nec tamen Fabellam Avieni (ex Phaedri III. 9.) ineditam vidit, quam inter Perotti iuvenilia imprudens reiecit p. 259.

Socrates exiguas aedes dum forte pararet,
E turbà quidam talia verba refert:
Quidnam tam parvas vir tantus construis aedes?
Impleat has utinam! verus amicus, ait.

Parte demum IV. Perotti carmina conclusit. Imperite supplet ubique. Ex. gr. p. 259. ita compingit hexametrum pede mutilum:

» Non es habendus homo, sed maximus » heros ». Alium habet pede illo auctum, p. 765. » Sicanus fuit in silvis, laetis Ascraeus in arvis etc. » Ac sunt innumera, quae minime musicum esse hominem probant, et frustra chordas unguli tentare.

Omisit quoque n. 138. epigramma integrum, » quia obscoenum et humore vitiatum ». Sed age, manum abstineo; ringi enim aiunt, quod acerbius a me tactus sit. At modo sublimi lentoque utebar flagello; ni cesset, pressius adigam.

Venio ad Codicem, quem praeclarus editor non descripsit. Promisit quidem descriptionem in dissertationibus, quas avide exspecto, ut rursus » ex forma favi » damnetur. Nunc, ut possum, prodam libri notitiam, tibi, V. CL., ut morem geram.

Codex iste chartaceus oblongus, in forma, ut vul-

go aiunt, octava maiori, inter alios Regios manu exaratos libros signatur, IV. E 27. Constat poematiis CLVII., quae prius numero adscripto carebant. Hunc ardelio in exemplari Perottino addere ausus est, vitiatis quoque, ut fama est, hac illac literarum vestigiis in contextu.

Charactere semper unico a capite ad calcem scriptus decurrit. Elegans est ac rotunda literarum forma, qualis exeunte XV. saeculo in usu fuit. Scriptorem puto non Perottum ipsum, sed ipsius amicum Titum Marium Veltrium Viterbiensem, ad quem Perottus in epistolà ab editore suppletà pag. 247. » Quod post epistolas nostras ... versiculos etiam nostros addideris et in unum libellum disposueris, habeo tibi immortales gratias ». Paucissimis certe erroribus liber, tamquam naevis, inspergitur, atque illi festinationem potius quam inscitiam scribentis arguunt, quin immo antiquo exemplorum vitio irrepserunt.

Capitales cuiusque versus literae rubricatae sunt. Scriptio reliqua in viridem colorem abiit, aut viridis ab initio fuit. Hiatus habet crebros paginis mucore putrescentibus. Emicant in lacunis literulae quaedam integrae, aut literarum exiles umbrae et fragmina.

Impostorem Perottum ne suspicemur, summa operis facit elegantia, atque eruditio, stilusque Phaedri nativus arte nullà imitabilis. In Archiepiscopum nostrum plaustra conviciorum exonerant Scriverius, Burmannus, Heinsius, Hoogstratanus, Christius, Vossius, Gudius, Barthius, Baelius, etc. Nimirum salsa illis res videbatur Archiepiscopus sycophanta. Sunt qui fabulas Phaedro supposuisse illum putent. Sunt alii qui Phaedri fabulas sibi tribuisse Perottum existiment. Sed ipse ita incoeptat :

NON SVNT HI MEI QVOS PVTAS VERSICVLI
SED AESOPI SVNT AVIENI ET PHAEDRI.

Immo titulus ostentat » Fabulas Aesopi, Avieni, et PHAEDRI »: Regerunt iactasse se Pontificem Sipontinum in Cornuc. ad Martial I. 77., quasi dum adolescens ageret, apologum de arboribus, qui Phaedri est III. 17., in fabellas suas iambico carmine transtulisset. Atqui addit » a Martiale adludi ad illam fabulam »; neque ergo a se conscriptam declarat, sed Martiale antiquiorem. Vitio memoriae lapsus eam dixit se ex Avieno transtulisse, quam Phaedro debebat. Etiam ad Martialis l. cit. eumdem erravit errorem Farnabius in luce tanta literarum. Sed quid, amabo, » transferre » est, nisi transcribere? Tu docuisti hoc, Burmanne, in comm. novo ad V. prol. v. 18.. Dicere ergo voluit Perottus fabulam se ex Phaedro exscripsisse iambico carmine compositam. Illud nunc urgent: IN FABELLIS NOSTRIS. Sed hoc nihili. Scilicet Perottus » fabellas suas » nuncupat exemplar hoc ipsum M. S. Bibliothecae Regiae, vel praecedentem potius syllogen, unde a Veltrio haustum est. En titulum indicis » Nicolai Perotti Pontificis Sypontini FABELLARVM.. index ». Ergo suas dictitabat illas Perottus. Nec tamen easdem pro » suis » eum venditasse patet ex alio, qui subsequitur, titulo ipsius operis » Nicolai Perotti Epitome Fabularum Aesopi, Avieni, et Phaedri, ad Pyrrhum Perottum fratris filium adolescentem suavissimum, incipit Feliciter ».

Superest, ut quibusdam occurram opinantibus, potuisse incidere Perottum in codicem antiquum aliquem Romuleo similem prorsa oratione compositum, quem facile Sipontinus in senarios cohibuerit, ut eo-

dem plane laudabili artificio Gudius, et ab eo ceteri plures Phaedri adpendicem sunt moliti. Sed Perotti inscitia in iis quae trimetriam spectant, versuumque ineditorum absoluta elegantia et rotunda concinnitas ita adversis inter se cornibus pugnant, ut nihil Perotto concedi queat, nisi labor carminum ex antiquis probatisque codicibus descriptorum.

At si a Perotto saltem interpolatas contendet aliquis, velim cogitet, ineditas fabellas cum editis, cumque Avieni elegis ordine non servato misceri. Quod si Avieni carmina nullo versu aucta sunt, nullo immutata, si neque hoc accidit incommodi Phaedri fabellis per editiones notis; iam nullo etiam versu corruptae sunt vel interpolatae, quae restant aliae primum a nobis in lucem protractae.

Tempus denique conscripti codicis et ad Pyrrhum Perottum transmissi, mihi videor videre unum fuisse annum vel alterum post 1468. Tunc enim in Grammatica studia incumbebat Pyrrhus. Id eruimus ex epistolà patrui in fine Regularum Grammaticalium, quas pro Pyrrho ille concinnavit, egoque editas habeo Venet. 1533., necnon a Matthià Moravo Neapoli sine anno excusas Vir Exc. Dux Cassani Serra servat in Ptoliemaicà illà suà Bibliothecà, ubi quot volumina tot thesauri.

Haec habui, Vir Cl., quae ad postulata reponerem. Plura fortasse ac meliora depromissem, si otium esset a familiaribus curis, animusque liberior. Sed me calamitates ita graves premunt, ut vix ac ne vix quidem tempus sit parumper in dulci musarum atque amicorum adloquio respirandi.

Me ama, et vale. Dabam Neap. Nonis Iuniis ƆIƆIƆCCCXI.

IVDICIA VIRORVM ILLVSTRIVM

ERVDITISSIMO AC NOBILI VIRO

IOANNI ANTONIO CASSITTO

EX CONLEGIO POSSESS. IN R. VTR. SICIL. ELECTORI
REG. SOCIET. GEORGICAE ACAD. ITALICAE
AC PONTANIANAE SODALI ORDINARIO

SILVESTER MICCV

ARCHIEPISCOPVS AMALPHITANVS

S. P. D.

Tuam ad me Nonis Februarii datam lubenti animo perlegi Epistolam. Quid, quaeso, boni mihi inesse comperisti, ut centum illis tuis sapientibus adnumeratum velis? O quam verum vetus illud adagium: quandoque: bonus dormitat Homerus! At ne habeam omninò silentium, ne ingratus nihilque hiscere me velle videar quamvis gravissimis Regis iussu ecclesiasticis nunc sim districtus negotiis, adversâque laborem valetudine, paucis rescribo, et ad tua interrogata respondeo.

Optimum sanè, quod ingenue sentio, mihi statim

visum est, Vir doctissime, initum a Te consilium in publicam iterum edendi lucem Parisinis perelegantibus typis, novo Commentario instructas, pulcherrimas vereque aureas XXXII. Iulii Phaedri Fabulas, quas iam antea Regali hac in Bibliotheca, dum Perottinum Codicem revolvebas, usque tunc ineditas felici omine reperisti, posteaque publici iuris Anno CIƆIƆCCCVIII omnium plausu fecisti. Quum enim intima veritatis adyta nunc subtili, nunc pleno Fabularum velo profanis se subtrahant oculis, frequenti compertum est experimento, Fabulas, et praesertim Phaedri, tyronibus ab earum Interpretibus propinatas, tam liquidam animis voluptatem infundere sanctam, ut vitiorum inlecebras cupiditatumve lenocinia quisque despiciendo, mores paullatim componat suos, honestisque se virtutibus imbutum ostendat. De genere porro earum meam expostulas sententiam, an videlicet Phaedro vel non illae in Perottino Codice inventae vindicandae sint? Ego iudicium Francisci Avellinii nulla habita haesitatione adcipio. Ecquid enim validissimis huiusce eximii Viri undique conlatis momentis, quibus ad evidentiam usque, non alii profectò, quam ipsi Iulio Phaedro laudatas XXXII Fabulas esse adiudicandas, sanioribus, criticae artis Canonibus demonstravit, vel addi, vel obiici, vel adimi valeat, ipse plane non video: quin imo neminem puto vel mediocriter in Phaedri lectione versatum, qui Phaedri,

genuinum stylum in unaquaque ex praecitatis XXXII Fabula non clare, distincteque perspiciat. Supplementa denique lacunarum, ni diversis in iam editis exemplaribus forent characteribus exarata, autographa prorsus viderentur; perbelle adeo, et ad amussim Phaedrum ipsum es imitatus. Tibi ergo gratulor, enixeque rogo, ne diutius differre velis tam egregii Operis novam praedivitemque Editionem, quam litterariae utillimam Reipublicae, Tibique honorificentissimam futuram esse credo. Vale, diuque Te Deus servet litteris, earumque ornamento.

Dabam Neapoli Kalendis Martii MDCCCXI.

VIRO CLARISSIMO

IOANNI ANTONIO CASSITTO

CAROLVS ANTONIVS DE ROSA VILLAEROSAE MARCHIO

S. D.

Vix ullis explicare verbis queo, Vir clarissime, quam mihi gratum, acceptumque fuerit praeclarum illud munus, quod nuper Nicolaus Thomasius, Vir tum optimis moribus, tum ingenuarum artium studiis ornatus, tuo mihi nomine detulit. Omnino Phaedri fabellae latini sermonis nitore, et nativa quadam, minimeque fucata venustate, atque elegantia adeo se cuivis commendant, ut nihil supra addi posse videatur. Et miror profecto, ecquid Scioppio in mentem venerit, qui nescio quem Thracismum in hoc perpolito Auctore sibi deprehendere visus est. Itaque primum mirificas tibi gratias ago, quod tam pretiosum antiquitatis Cimelion ad me perferendum curasti. Deinde quod in tuis ad me datis litteris ob eruditionem, doctrinaeque praestantiam me commendas, fateor quidem mihi gratissimum esse laudari abs te laudato Viro: sed tamen non agnosco eas laudes, quibus me paene immerentem oneras; et cum me, meaque omnia excutio, quam sit mihi curta supel-

lex, penitus perspicio. Nimirum tu, qui veris, ac solidis laudibus abundas, etiam tenuiores amicos earum non invitus participes facis, neque aliis, quod tibi superest, tribuere gravaris. Verum haec omittamus. Ego te, mi Cassitte, pro eo ac tuum singulare ingenium, tua doctrina, ac voluntas in me tua postulat, amo, et magni facio: idque ex tuis optimis fratribus cognoscere poteris, quibus, quotiescumque de te est mentio iniecta, meum perpetuum in te studium atque observantiam declarare non destiti. Tu interea, Vir clarissime, et amicissime, perge me amare, ut facis. Vale. Pridie Kalend. April. MDCCCXI.

ANGELI ANT. SCOTTI

Regii Interpr. Papyrorum Herculanensium

EPIGRAMMA.

Hunc Phaedri ignotum per plurima saecla libellum,
Sunt qui Augustaeo non tribuere stilo.
Audiit has Pitho voces, irrisit, et inquit:
O utinam non vos falleret invidia!
Aurea namque mei rediissent saecula regni,
Si quis nunc tanta conderet arte librum.

VINCENTIVS FOLLINIVS

Publicae Florentinae Bibliothecae Malliabechianae Praefectus,

Clarissimo et doctissimo viro
IO. ANTONIO CASSITTO S. P. D.

Quod XXXII. Phaedri fabulas, a te, Vir Clarissime, quatuor ab hinc annis in Perottino Codice repertas, et litterarum formis impressas, mihi dono miseris, gratias tibi debere plurimas fateor; eoque magis, quod me parvo et praecipuo numero accensendum iudicasti, qui ad maximum sane et vulgarem pertinere novi.

Harum lectione valde delectatus sum, et Phaedri ingenium, venustatem, acumen, et, ut ita dicam, naturalem saporem in iisdem inveni. Quid igitur tibi respondere possum, vir humanissime? Num suspicari ausim nothum Phaedri pro genuino foetu Reipublicae Litteratorum hisce obtrudi? Absit; nam fabulas huiusmodi, nec Annianae impudentiae, nec Curtianae simplicitatis heres vulgavit, sed vir honestus, doctus et emunctae naris, cuius cum vel meminisse oporteat, Viterbiensem impostorem, et propria deceptum credulitate Volaterranum penitus oblivisci debemus.

Observationes itaque paucas tantum, fabularum lectioni addere possum, quas tamen a te haud praetermissas fuisse reor. Hae sane prodeunt a mente cavillatoris, ex professo Codd. MSS. rimantis, eorumdemque paginas quotidie in ius vocare adsueti.

Perottinus Codex, qui nonnulla etiam Perotti scripta complectitur, unius Librarii manu, an plurium calamis exaratus fuit? Si characterem unicum praesefert, vel ab ipso Perotto, vel a coaevo scriptum fuisse nemo ambigit: Perottus Codicis Scriptor, et quorumdam in eo notatorum auctor, Phaedri fabulis proprias inserere potuit. Nec mirum, id praestitum fuisse a viro, cui iniustam plagii maculam erga Phaedrum ipsum haud temere, cum Fabricio docti norunt. Nonne Phaedri versus in Cornucopiae textu ut proprios venditavit? Idem prope dicendum est, si aliena manu coaeva Cod. exaratus est; nam quisquis fuerit Librarius, Perotti consilio, voluntati, vel saltem auctoritati inhaesit.

Si vero plurium manibus Cod. scriptus deprehenditur; antiquioresne sunt Phaedri fabulae Perottino, aut Perottini aevi scripto? Accidit saepe, ut nosti, Vir eruditissime, in veterum Codd. paginis superfluis et vacuis, a possessoribus propria vel aliena notari, et saepissime Codd. veteres neotericis scripturis iungi. Paginas igitur vacuas Cod. vel Perottus, vel coaeva Perotto manus implevit, dummodo unus et integer Codex semper fuerit. Si vero ex plurium foliis constat, scire velim, an Perottus integrum habuerit, vel eam tantummodo partem, in qua eiusdem nomen et scripta notata fuere, quaeque postea a Bibliopego, alicuius possessoris iussu, chartis vetustioribus iuncta fuisset. Si ita res

te haberet, fortasse Perotto huiusmodi Phaedri Fabulae haud innotuissent. At cum certum exploratumque sit, Phaedri carmina velut propria a Perotto referri, eas in hoc Cod. unice legisse arbitror, ac proinde integrum habuisse non dubito.

Hae Phaedri fabulae Perotti et aliorum poematiis iunctae, dum litteris vetustioribus Perottinis, et Perottino aevo scriptae sint, Perottum ab imposturae vel fraudis nota liberant. Si vero Perottino calamo; vel eiusdem aevo suppari exaratae fuere; praeterea, si non tantum Perotti, Avieni, et aliorum poematiis iunctae, sed immixtae, ut ex epistola tua didici, vel alternatim vel nullo servato ordine fuere; tandem si auctoris nomen haud praeseferunt, et vulgatarum Fabularum Phaedri subsidio hariolari tantum possumus, caeteras quoque ad Phaedrum pertinere; ea scilicet de caussa quod Phaedrum sapiant, quid de Perotto et eius Cod. sentiendum?

Huiusmodi fabularum et poematum farrago, dum Perotti industria in unum coaluisse corpus probari possit, cur non et Perottinis fabulis, ut certe poematiis, scatere potuit? Sipontinus hic Praesul, qui Phaedri carmina nonnulla sibi tribuit, ut doctis fucum faceret, veteris poetae stilum aemulari potuit, et similes fabellas componere.

Lacunae ipsae Cod. haud parvi faciendae sunt; impostorum enim est illas fingere, quemadmodum infames

monumentorum prisci aevi mercatores, signa marmorea, aenea, inscriptiones, numismata et caetera huiusmodi ab ipsis conflata, ut incautos emptores decipiant, mutila, foedata, rubigine obducta simulant. Sed cum naturam ab artificio, verum a falso peritissimi huius rei optime discernant, sic veteres paginas haud perfunctorie evolventes, quos inter admodum suspiciendus es, Vir doctissime, affectationem in lacunis perfecte dignoscere solent.

Cum in huiusmodi lacunarum observatione plurimum valeat collatio Cod. cum vulgato fabularum textu, quatenus illi respondet, sic praecipuam curam tuam collationem hanc fuisse non dubito. Quantum enim ad veritatem statuendam utilis sit, tu non ignoras: scis enim vulgatum Phaedri textum pluribus in locis corruptum et hiulcum esse. Perottinus Cod. in fabulis iam notis, vulgatam editionem exacte sequitur? Iisdem lacunis et maculis scatet, vel pleniorem et puriorem lectionem exhibet? Lectio haec castigatior, si tamen exstat, artificium impostoris, vel naturam et veritatem redolet?

Cornucopiae volumen, et carmina quae sub Perotti nomine in eodem leguntur, a te diligenter inspecta fuisse credo, et ex horum collatione cum Phaedri carminibus, aliquod veritatis argumentum eruisse confido.

Certum est, integrum Phaedri opus, Perottinum non

esse figmentum, cum Pithoeus Cod. vetustissimo usus sit; nec imposturae et Annianae temeritatis insimulari potest quod veteri Phaedro fabulas recentissimas tribuerit, sed certe furti cum Phaedri carmina usurparit, adeo ut nec bonae fidei vir habendus, nec illi omnino fidendum sit.

Sed iterum fateor, vir clarissime; hisce observationibus actum agere, easque silentio libenter praeterissem, nisi humanitatis tuae luculentissimus testis, ipse Phaedri libellus mihi dono missus, aliter suasisset. Ut parcas tamen rogo, et Phaedrus integer, cum doctissimo Commentario tuo, Didotianis typis expressus, quam primum omnium eruditorum manibus teratur, cures. Hoc equidem Commentario vel absolutissima praefatione, qua editionem instrues, omnia dilui argumenta puto, quae a nasutis viris adduci possunt contra sinceritatem huius textus: cui non parum mea sententia suffragari potest contentio nuperrime orta, ut audio, de primo harum Fabularum in Perottino Codice inventore; quamvis enim inventionem ad te pertinere non dubitem, cur non audeam, intacto prorsus iure tuo manente, ex hac ipsa aemulatione sinceritatis huius textus argumentum sumere? Quis enim pro notho, adulterino, ementito veteris scriptoris foetu certaret?

Vale, vir doctissime, et me ama.

Dabam Florentiae 8. Id. Maii 1811.

Viro Clarissimo atque Doctissimo
IOANNI ANTONIO CASSITTO
Electori ex Coll. Poss. in Regno Vtriusque Siciliae etc.

FRANCISCVS DE FVRIA

Bibl. Mediceae Praef. S. P. D.

Rure nuper reversus, quo me transactis diebus receperam, ut paullisper ab urbano strepitu semotus, agresti libertate, otioque dulci recrearer, accepi Epistolam Tuam, sero quidem allatam, sed gratam adeo, atque adeo iucundam ut aliud vix sperem magis dulce atque optatum mihi umquam posse evenire. Phaedrianas enim novas Fabulas, quas Neapoli ex Perottino Codice tandem editas fuisse a doctis viris audiveram, per Te mihi concessum est legere, manibusque versare; quo quidem tanta animi delectatione perfusus sum, ut ab hisce vere aureis et vere elegantibus pagellis numquam oculos possim dimovere: Primum itaque, ut par est, Tibi, Vir doctissime, atque munificentissime, gratias ago innumeras, quod me tanto munere cumulasti, ut eius memoria nullo umquam tempore meo ex animo dilabatur. Gratulor deinde, Tibi inquam gratulor, bis, decies, centies, tale Te virtutis Tuae, studiorumque Tuorum documentum exhibuisse, quod patria non solum, sed et exterae quoque gentes summopere laudent,

et admirentur. Nam mihi quidem praeclare mereri de republica videntur, qui veterum auctorum scriptis edendis, inlustrandisque, publicis studiis consulunt, quae sane dum in honore sunt, Regna quoque florent, et temporum felicitate perdurant.

Quod autem rogas, ut hisce de Fabulis quid sentiam exponam Tibi; eae quidem et stilo, et elegantia, et latini sermonis nitore adeo ceteris Phaedrianis similes esse videntur, ut magis non sit simile, ut dicunt, lac lacti, ac ovum ovo: quapropter quod olim Poeta Graecus de Phaedone aiebat, quem Panaetius Platonis esse negabat, heic bene, mutatis tantum verbis, quadrare posset . . . . . .

In his praeterea, Aesopum saepe saepius materiam praebentem agnosco. Fabula enim XXVIII. similis est Aesopicae X. quam videre est in mea Aesopi Fabularum Editione, quam Florentiae curavi an. 1809. *Tom. I. pag.* 21. *Ita Fab. XXI. et XXIV. cum Aphthonianis* 13. *et* 15. *fere omnino concordant; ex quo luce clarius apparet, Phaedrum et Aphthonium ex eodem Aesopico fonte plurima in suas Fabellas transtulisse. De Tua autem fide, nemo quidem tam inurbanus aut rudis esse potest, ut vel minimum possit dubitare. Quae autem a Vossio, et Scriverio, de vero istarum Fabularum Scriptore tradita sunt, a Te quidem in trutinam revocari, ac melius, quam a ceteris factum est, expendi poterunt*

atque iudicari. Ubi autem in Commentario, quem Lutetiae cum ceteris Phaedri Fabulis imprimendum curas, me de historia ac fato Perottini Codicis, deque aliis scitu maxime dignis certiorem feceris, caetera quoque, quae nonnulli fortasse in dubium revocare possent, et libenter ediscam, et certa tenebo. Cuivis enim difficile erit, ne temerarium dicam, iudicium suum interponere, nisi prius opus hoc Tuum integrum atque absolutum viderit, atque perpenderit, quod sane omnes votis poscimus et exspectamus.

Vale, Vir praestantissime, ac perge, ut facis, de litteris, deque optimis studiis benemereri, ad maiorem patriae splendorem, atque Italiae totius ornamentum.

Dabam Florentiae ex Bibliotheca Medicea
ipsis Idibus Maiis MDCCCXI.

IOANNI ANTONIO CASSITTO

Viro doctissimo clarissimo

S. D.

CHR. G. HEYNE

Eques Ord. Westph. Coronae, Professor Vniv. Gotting.
Societatis Regiae Scientiar. Gotting.
Sodalis et Secretar. perpet.

Beasti me, Vir praestantissime, munere praeclaro, humanitatis Tuae, et iudicii de me honorificentissimi pignore ac testificatione gratissima, misso ad me, quod fortuna obtulit, hermaeo fabularum, quae in codice latitaverant, quo non parum sum laetatus, gratiasque Tibi ago debitas. Quum a me exigas ut libere profitear quid de hac fabularum nova accessione statuam, eo ipso me ad libertatem et candorem iudicii adegisse videris, officiique adeo mei esse censeo, ut ad Te ingenue et libere perscribam, quid mihi de casus huius felicitate videatur. Itaque Tibi quidem, Vir doctissime, perspicacitatem in eruendo invento, subtilitatem ingenii et sagacitatem in eo restituendo, expletis lacunis et abstersis vitiis ex animo gratulor; de ipso autem

fortunae munere ita statuo, profectum quidem illud esse ab aliquo viro docto ex superioribus aetatibus, Phaedri quidem aemulo, ingenio tamen et sermonis castitate, proprietate et elegantia multum inferiore, fabulae quoque Aesopiae non satis perspectam habente indolem. Vel sic tamen dignum fragmeutum esse arbitror quod inter ceteram fabularum farraginem aliquo loco sit habendum; etsi equidem multo magis plaudam ingenio Tuo in eo restituendo et evulgando, nec improbem consilium Tuum de eo novis curis edendo et commentario instruendo; haud dubie enim Tuis ex copiis doctrinae multo maiores fructus capiemus quam ex operis ipsius aestimatione ingenue et candide facta. Me itaque habebis in eorum numero, qui ingenio doctrinaeque Tuae faveant, et nomini laudique Tuae suffragatione sua ita studeant, ut ei velint vel maxime consultum esse. Scr. Gottingae Kal. Maii 1811.

MONITVM.

Destinaveram, L. B., intra fabellarum nudam editionem consistere. Sed precibus hoc dedi nurus meae, lectissimae feminae, ut italica paraphrasis *accederet. Atque ecce tunc homuncio nescio quis pugione me plumbeo semel iterumque petiit. Ergo Mantisam raptim lucubravi, in eaque* XXII. emendationes *in contextum recipiendas proposui. Addidi et* Vindicias Priores. *Cur* priores *? Sum enim et secundas deinceps editurus Vindicias, atque ita porro ad tertias, quartas, et ad centesimas usque, ubi res postulaverit, procedam. Age, adversarius maturet, nec tertium volumen dissertationum iam amplius premat. Salsamentarii rogant, qui ad Ilerdam negotiantur: ego etiam enixe, ne desit scribendi et ridendi materia. Porro, quum Vitam Phaedri legissem a literatore consarcinatam, foedisque ita monstris refertam, ut me in terram Africam fuisse delatum arbitrarer, subiit animum cogitatio, ea de re quaedam ex peculio meo proferendi. Hinc enatae* Coniecturae de Vitâ Phaedri, Chronotaxis fabularum, et Clavis. *Tandem et* parva Scholia *ad novos Apologos composui, ut* CL. HEYNE, *Germaniae literatae lucidissimo sideri, non plane mecum sentienti, satisfacerem; simul ut* lectiones *illas tam praeclaras literatoris de plagio conquerentis exponerem, quo cernerent emunctae naris homines, an oculos potuerim, nedum manus, in putida et pudenda eiusmo-*

di inquinamenta demittere. Ea te passim quoque docebunt quam inique mecum auctoratus iste nebulo committatur, quamque esset optandum, ut Entellus *aliquis ad tale virium certamen descendat. Non heic profecto elumbes, neque a maiorum virtute degeneres palaestritas experietur. Nihilominus fateor et deprecor excidisse mihi acerbiora quaedam in Scholiis et alibi. Damno praecipitem calamum, et brevem illum furorem. In his plane velitationibus cachinnus Menippi non improbatur, vires redintegrat, taedia spectatorum extergit; dum convicia agreste quiddam et inurbanum praeseferunt. Sed etsi numquam conviciatus sim, asperior tamen alicubi fui, quam fuisse iam nollem. Desino, et pauca alia de Editione subiicio. I.* Epistolas Virorum Illustrium *edere institueram in libri calce; nunc vero ne diutius eruditos exspectatione torqueam, filum abrumpo. Quas collegi Sententias, peculiaris libellus complectetur universas, cum titulo:* Iudicium Centumvirale de Phaedro Cassittiano. *Hostimenti loco accedent observationes nostrae, et Apologeticus. II. Desiderabis heic, L. B., meliorem in opusculis dispositis ordinem, et subtiliorem alicubi diligentiam. Sic in* Schol. p. 15., *Petronium, lapsus memoriâ, citabam, quum Apuleium debuissem, cuius illa sunt . . .* Cinaedus ingens fasciis cruralibus adligatus. *In editione quartâ, hoc qualecumque est quod inchoavi,*

prelo currente , et inter trieas domesticas , multo accuratius dedolabo . III. Officinae Praeses dum characteres Graecos de foris exspectat , morâ incommodâ nostros impetus tenuit . Denique , ne differretur editio , quidquid Graecanicae eruditionis fuerat , resecui , ut in Chronol. *p.* 50. *in* Iudic. *p.* 100. *et alibi . IV. Pauca typographi sphalmata , amabo , condones . In* Schol. *p.* 14. *retrahe ad v.* 16. *quae perperam praecedunt* „ Concidit casu gravi „ *et adde loci indicium , scil.* „ lib. V. f. 7. „ *Pag.* 27. Sonare e citharâ quos potes Apollinis , *Legendum* „ posses „ , *ut colligitur ex adiectâ paraphrasi . Pag.* 84. „ alatur , quae „ *leg.* „ alatur , qui . *Pag.* 88. Ptolâemaica *leg.* Ptolemaicâ . *Item* „ depromissem „ *lege* „ depromsissem „

„ *Sed ne loquutus sine mercede existimer* „ *adiicio fabellam meam :*

DE PASTORE ET MVSCA .

Frontem Pastoris Musca tentat icere .
Digito crepante abigitur . At rediens viam
Dolone stricto bibula humani sanguinis
Instabat homini . Punctus , hic inquit , tuos
Equidem non sensi , nec me sensurum scio .
Quid si ego te tangam , infelix ? Laedam volnere .
Facesse hinc , si sapis ; ad sterculinum redi .
Muscae sodales martem sed tubâ cient ,

Et advolat bellatrix maiore impetu .
Tunc superûm frustra implorans atque hominum fidem,
Duris extrita digitis occubuit neci .
Hoc in se dictum Panniculi velim putent ,
Alapae sonantes ne stultitiam comprimant .

EXPLICIT . LECTORI FELICITER .